

53
P. 7h
291.

XIII, 52.

3, 86i.



X

C
C

O

2
the

E

E
Edo

C
V



CATECHESIS
CONTINENS EX-
PLICATIONEM SIM-

PLICEM ET BREVEM,

DECALOGI:

SYMBOLI APOSTOLICI:

ORATIONIS DOMINICAE:

DOCTRINAE DE

POENITENTIA ET DE

SACRAMENTIS:

Contextam ex scriptis reuerendi viri D. THOMAS
LIPPI MELANTHONIS, &

CORPORE DO-

ctrinae Christianae,

QUOD AMPLIANTUR AC
tuentur Ecclesiae regionum Saxoniarum & Mis-
nicarum, quae sunt subiectae ditioni Ducis
Electoris Saxoniae &c.

EDITA IN ACADEMIA VVIT-
tebergensi: & accommodata ad usum
Scholarum puerilium.

ET IAM DENO RECOGNITA
addita consignatione, in quibus partibus scriptorum
D. Philippi extent loca, haecenus ab aliqui-
bus impugnata in hac Catechesi.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

VVITTEBERGAE M. D. LXXII.

Johannes Neander
~~Adm. Schis~~
~~possidet~~

*pluribus
aut uerba
nisi
superius
dixi
volens
omni
ho gratia*

*Supra
ho ibo
In sui me
moriam libelle
sunt exigit
sey dicit
suo intimo*





BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

OMNIBVS PIIS

ET DOCTIS VIRIS, GV-

BERNANTIBVS STVDIA

*iuventutis in Scholis pue-
rilibus*

S. P. D.



NON EST ALIA
melior instituendę iu-
uentutis ratio, quã
ordiendõ à primis do-
ctrinarum elementis,
ætatem teneram his imbutã, pau-
latim ordine ceu per gradus pro-
uehere ad altiora ac difficiliora; &
illa ipsa elementa ita proponere, ut
et dictata reposcantur ab auditoris
bus, & auditores ipsi ad certas ex
præsripto responsionum formu-
las assuefiant. Nam qui turbato
ordine protinus in medias doctri-
nas irruunt, initijs non perceptis,

A 2

aut

P R A E F A T I O .

aut qui ordine inuerso fastigia
petunt, fundamentis non substru-
ctis, operam perdunt, & in cona-
tibus medijs fathiscentes concis-
dunt.

Inprimis uerò ad tuendam
conseruandamq; doctrinae coele-
stis puritatem et ad excitanda atq;
acuenda ingenia, accommodatior
institutio nulla est, quam cum ea,
quæ tradita sunt, quasi fida depo-
sita repetuntur & exiguntur. Ex-
ploratis enim auditorum profes-
ctibus animaduerti potest, quan-
tum quisque retinuerit, quantum
intelligat, ubi hæreat, ubi aberret
à uero, & errantes admoneri pos-
sunt.

Prodest & hoc: unam quan-
dam simplicem & certam sequi
doctrinae formam ἀνάλογον fidei,
&

P R A E F A T I O.

& canonī doctrinæ Propheticae
 atq; Apostolicae conformem : Is-
 mō & certos loquendi modos u-
 surpare, qui nihil habeant ambigui-
 tatis aut obscuritatis, & con-
 sentanei sint Scripturæ, quod &
 Paulum meminimus præcipere
 Timotheo, ut conseruet ὑποτύπω-
 σιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων, id est, Ide-
 am & formam certam. Nam dissi-
 miles, perplexi, ambigui, noui,
 à canone scripturæ & testimonijs
 orthodoxis, quæ graui autoritate
 recepta & comprobata sunt, dif-
 crepantes modi loquendi, inuol-
 uunt & obscurant dogmata, con-
 sensum de doctrina dirimunt, er-
 roribus fenestram aperiunt, uo-
 luntates disiungunt, operas et stu-
 dia distrahunt, & licentiam auda-
 ciamq; quiduis fingendi in leuibus



P R A E F A T I O.

ac petulantibus ingenijs confir-
mant. Verissimum est enim non
de politicis negocijs tantum, sed
multò magis de religionibus,
quod apud Thucydidem dicitur:
Ἐν τῷ διαλλάττονι γνώμης διαφοραὶ ἔργων
καθίστανται, id est, Dissidentibus o-
pinionibus & uoluntatibus fiunt
opera diuersa.

Hæc mala ut auerterentur, &
consensus de doctrina, quasi per
manus ab Apostolis propagatus,
ut ad posteros transmitteretur,
prima Ecclesia non Episcopis so-
lis & Pastoribus docendi curam
commendauit, sed ñsdem adiun-
xit & κἀπηχῆται, quorum munus es-
rat erudire nouitios, qui fidem
Christianam recens amplexi e-
rant, & ad Ecclesiæ societatem se
se aggregarant.

Vt

PRÆFATIO.

Vt autem ij, qui hoc modo instituebantur, antequàm ad Baptismum admitterentur, uocabantur *κατηχοῦμενοι*: Sic ipsa docendi ratio, qua summa doctrinæ Ecclesiæ compendio tradebatur, & uicissitudine quadam interrogationum ac responsionum, auditore ceu *κατ' ἤχῳ* reddente accepta, exercebatur: nominata fuit *κατήχησις*, quasi per reciprocum sonum reddita eadem uox doctrinæ.

Extat in ipsa scriptura nomen Catecheseos, cùm alibi, tùm apud Lucam in exordio narrationis Euangelicæ, & in Epistola ad Rom. cap. 2. & 1. Cor. 14. & ad Gal. 6. *κοινωνεῖτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τοῦ κατηχοῦντος, ἐν πάσι ἀγαθοῖς.* Et morem Ecclesiæ ueteris aliquoties describit Eusebius, qui et seriem atq̃

P R A E F A T I O.

successionem eorum, qui prae-
 runt Catechumenis in Ecclesia A-
 lexandrina, ordine commemorat.
 Fit & apud caeteros scriptores Ec-
 clesiasticos crebra uetustissimi hus-
 ius moris Ecclesiae mentio. Nam
 & Tertullianus in sermone de
 poenitentia hortatur Catechume-
 nos, ne differant Baptismum, hac
 persuasione, quasi securius ante
 Baptismum peccatis indulgere i-
 psis liceat: Et Chrysoptomi quae-
 dam homilia inscribitur Cateche-
 sis ad illuminandos: Cuius exor-
 dium etiam tale est, ut ostendat
 modum ac formam doctrinae ues-
 teris. Sic enim orditur: Prius di-
 ctorum apud charitatem uestram
 fructus à uobis repetiturus adue-
 nio. Scripsit & Augustinus librū
 de Catechisandis rudibus.

Hanc

Hanc ueteris Ecclesiae consuetudinem superstitiosorum rituum cultu & obseruationibus in regno Pontificio sublatam atque deletam, ut Reuerendus Pater ac Praeceptor noster, et sincerioris religionis instaurator Doctor Martinus LV THER V S reuocaret in Ecclesiam, praecipua Doctrinae Christianae capita, Methodo Catechetica interrogationibus & responsionibus distincta explicauit, quae primae aetati a teneris priuatim & publice in Ecclesijs, & Scholis harum regionum, magna cura inculcantur, eadem obseruata lege institutionis, ut cogantur auditores quasi sono reflexo imitari & reddere interpretationum uerba.

P R A E F A T I O.

Qui uerò aliquo usque progressi & adultiores sunt, quorum iudicium ætate auctum paulatim maturefcit, ijs uberiores & alijs quanto altius ex fonte doctrinæ sacræ depromptæ ac pluribus roboratæ testimonijs explicationes proponuntur, methodo tamen non diuersa. Atque id quidem in templis hæctenus, quàm in Scholis obseruatum est accuratius, quod Pædagogorum alij alias usurpauerint uberioris Catechetiæ doctrinæ formas, nec ordine nec interrogationum aut responsionum forma, nec loquendi modis congruentes. Quin etiam nonnulli ex dissidijs, quibus flagrant atque concutiuntur Ecclesiæ, & ex confusione tetradogmatum rectè explicatorum, ausi sunt asperz

P R A E F A T I O.

aspergere multa minimè conueni-
entia teneris ingenijs, sicut expe-
rimur, cùm profectus discentium
exploramus, inter quos non pau-
ci offeruntur Catecheticae doctri-
nae aut rudes prorsus, aut de inters-
rogatis aliena uel ambigua res-
pondentes. His incommodis ut
aliquomodo inueniretur remedi-
um, profuturum esse magnope-
re existimauimus, si una ederetur
certa & simplex forma Cateche-
seos, quæ post initia Catechismi
Domini Doctoris Lutheri, in
Scholis puerilibus iuuentuti pro-
poni posset. Nam capita in Exa-
mine aut Locis Theologicis com-
prehensa, ac disputata, quæ in
Ecclesiae doctrina ac certaminibus
exercitatum lectorem requirunt,
nondum omnia commodè & è
uestigio

P R A E F A T I O.

uestigio pueris eruditis in Catechesi Lutheri tradi possunt.

Quamobrem ex Corpore Doctrinae, in quo nostrae Ecclesiae uerè & rectè statuunt repeti & explicari perpetuum consensum doctrinae Propheticae & Apostolicae, ac Symbolorum, hanc Epitomen, quantum fieri potuit, excerptam contexuimus, declarantem atque illustrantem concinnis definitionibus illa, quae in Catechesi Lutheri summam indicata sunt: Nec tamen aut ad ea penetrantem cōtrouersiarum momenta, quae alibi agitantur, aut nimis procul à praesenti scopo excurrentem. In hac cum utiliter post Lutheri Catechesin et ante Examinis Theologici enarrationem exerceri

ri

P R A E F A T I O.

ri posse adolescentes existime-
mus, edendam censuimus.

Prolixitatem impedituram
operas discipulorum & rudiorum
aetatem remoraturam, quæ nec
obruenda est copia, nec turbanda
varietate, nec implicanda perple-
xitate rerum, consultò vitauimus,
ne discipulis idem, quod Spar-
tanis Samios legatos audientibus,
accidat, ut postrema non intelli-
gant, priorum obliuiscantur: τὰ
μὲν πρῶτα λεχθέντα ἐπιλελῆσθαι. τὰ θ' ὕστα-
τα οὐ σιωπῆσαι. Oportet enim eos
tum, quæ teneræ aetati traduntur,
modum esse, ut memoria compre-
hendi & animis infigi possint.
Locupletior tractatio alterius loci
est & occasionis. Interdum tamen
aliqua uberius declarationis cau-
sa addidimus, quæ ad altiora atq[ue]
maiores

P R A E F A T I O.

maiora accessuris uiam quandam
præparant. Sed ea typis exilioris
bus excudi curauimus, ut ab alijs,
quæ memoriæ mandari necesse
est, facilius discerni possent.

Fruantur fanè his laboribus
quicumq; uolent: Sed res ipsas in
hoc libello traditas, & loquendi
formas, nec nostras nec nouas esse
sciant. Ea enim recensuimus, quæ
nostræ Ecclesiæ unanimi consen-
su, & constantia ac fide religiosa
semper hucusq; eodem modo ser-
nuerunt. Quare si qui erunt boni
& pijs, & coniunctionis Ecclesia-
rum amantes, hi ut speramus, cum
gratiarum actione his fruentur,
Quos hortamur, ne rectè tradita
alienis & commenticijs interpre-
tationibus deprauari aut contas-
minari,

P R A E F A T I O.

minari, néue peregrina assui per-
mittant. Sed hæc ut à Præcepto-
ribus nobis tradita sunt, rectè in-
telligere adolescentes suæ fidei
commisso assuefaciant, & *πὺν κα-
λῶ παρακαταθήκῃ* posteris conser-
uare integram & illibatam stude-
ant, & Deum toto pectore pre-
centur, ut repurgatæ doctrinæ lus-
cem nobis incorruptam conser-
uet, ac reprimat conatus eorum,
qui manifestæ ueritati maliciosè
& petulanter, aut ueteratoriè &
fraudulenter illudunt. Te Fili
Dei, Domine Iesu Christe, ora-
mus, ut asseras & uindices glori-
am tuam, & de doctrina, quam ex
ore ac patefactione tua sonamus,
testificeris posteritati, Sanes uul-
nera Ecclesiæ, reprimas Sophi-
stas, Sycophantas, Tyrannos, ar-
chite-

P R A E F A T I O.

chitectos artificiorum & consilio-
rum Sinoniorum, Tuearis cons-
sensum inter nos de ueritate tua,
ut uno spiritu, una fide, uno ore,
te celebremus in hac uita & in o-
mni aeternitate. Amen.

Witebergæ Calendis Ianua-
rii, inchoantibus annum Christi
Seruatoris M. D. LXXI.

*Decanus, Senior, & Doctores
Theologicae facultatis in
Academia VVitem-
bergenfi.*

C A P I.

CAPITA CATECHISMII.

Quid vocatur Catechesis, & unde est appellatio?

CATECHESIS est prima institutio, qua rudioribus summa doctrinae Christianae, certa methodo comprehensa traditur. Nomen est ἀπὸ τοῦ κἀταχέω, quod significat, viva voce erudire, & ab auditoribus doctrinam reposcere.

Quae sunt precipua capita Catechismi?

Quinq; { Decalogus.
 { Symbolum Apostolicum.
 { Oratio Dominica.
 { Doctrina de poenitentia, & Absolutione.
 { Doctrina de Sacramentis.

DE DECALOGO.

B

Quid



Quid continet Decalogus, & unde habet appellationem?

DECALOGVS continet summam Legis moralis, & nomen habet à numero decem Præceptorum. Sumpta est autem vox ex 10. capite Deuteronomij, ubi Dominus dicitur scripsisse decem verba, quæ locutus erat de medio ignis, in monte Sina.

Quomodo diuiditur Decalogus?

In duas tabulas: **PRIOR** tabula docet de cultibus, qui immediatè Deo præstādi sunt, **POSTERIOR** Tabula præcipit

cipit de officijs erga proximum. Vtriusque Tabulæ summam & ordinem Christus complexus est Matthæi 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & magnum mandatum. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota Lex consistit & Prophetæ.

Quæ præcepta pertinent ad primam Tabulam?

Tria priora Præcepta: Quorum T R I - M U M concionatur de agnitione D E I in mente, et de motibus seu affectibus in voluntate & corde erga Deum. S E C U N D U M præcipit de illius agnitionis & affectuum professione, quæ fit sermone. T E R T I U M sancit totum ministerium, quo fit propagatio doctrinæ cœlestis, & cultuum externorum, quos Deus instituit.

Quæ præcepta referuntur ad secundam Tabulam?

Septem sequentia Præcepta: Quorum hic est ordo: Q V A R T U M munit societatem communem generis humani, ad quam homo est condi-

tus, & gubernatores illius constituit. QVINTVM corpora & vitam singulorum hominum munit. SEXTVM tuetur coniugia. SEPTIMVM domos seu nidos singulorum munit, & res alias vitæ necessarias. OCTAVVM defendit famam cuiusq; & iudicia ordinat, quæ sunt nervi & executio iusticiæ. NONVM & DECIMVM addunt declarationem, quod Lex Dei non tantum de externis operibus præcipiat, sed accuset & damnet etiam pravam concupiscentiam.

*Qualis est forma enunciationis in
singulis Præceptis?*

Primum præceptum partim affirmatiuum, partim negatiuum est. Reliqua præcepta primæ & secundæ Tabulæ sunt negatiua, excepto tertio & quarto Præcepto. Semper autem in negatiuis simul continetur sententia affirmatiua, & è contrario. In affirmatiuis simul continetur sententia negatiua.

Quæ sunt in singulis Præceptis con- sideranda?

De omnibus Præceptis hæc quinque cogitanda sunt.

- I. Quæ opera flagitentur.
- II. Quomodo fieri possint & placeant.
- III. Quæ

- II. Quæ peccata prohibeantur.
 III. Promissiones additæ Legi.
 V. Comminationes.

Ex his quædam ad singula Præcepta pertinent. Aliqua vero ad vniuersam Legem referenda sunt.

DIC I. PRÆCEP-

PTVM. Lex mandat, prohibet, prom-

Ego sum Dominus Deus tuus ^{tit et indicat}
 us, qui eduxi te ex Aegypto. Non ^{Additur his}
 habebis Deos alienos coram me. ^{meditandis}

*Quid continet affirmatiua sententia
 huius Præcepti?*

Hæc verba: Ego sum Dominus Deus
 tuus, qui eduxi te ex Aegypto, con-
 firmant *PRIMVM* totius Legis autho-
 ritatem monstrato Deo authore. *DE*
INDE ostendunt, quis sit verus Deus,
 & quomodo agnoscendus sit. Nam ap-
 pellatio *IEHOVAE* discernit Deum
 patefactum in Ecclesia ab omnibus com-
 mentitijs numinibus, & mentio educ-
 tionis ex Aegypto monet ingentibus mira-
 culis

culis verbum, quod à Deo traditum est Ecclesiae, confirmatum esse.

Recita definitionem Dei.

Definitio
Dei arrosa
à Vestpha-
lo extat in
libello De-
finitionum
Philippi,
Corpore
doctrinae
iuxta Li-
psensem e-
ditionem
in fol. pag.
863.

DEVS est essentia spiritualis, intel-
ligens, aeterna, alia à creaturis omnibus,
verax, bona, iusta, casta, misericors, bene-
fica, liberrima, immensae sapientiae &
potentiae, irascens peccatis, Pater aeter-
nus, qui Filium imaginem suam ab aeter-
no genuit, & Filius imago Patris coaeter-
na, et Spiritus sanctus procedens à Patre
& Filio, sicut patefacta est diuinitas, cer-
to verbo & testimonijs diuinis, quòd
Pater aeternus cum Filio & Spiritu san-
cto condiderit & conseruet coelum &
terrā, & omnes creaturas, & adsit omni-
bus creaturis, quo ad conseruationem,
& colligat sibi in genere humano Eccle-
siam propter Filium, & per eum, & sit
iudex iustorum & iniustorum.

*Qui sunt modi, quibus agnosci-
tur Deus?*

Duo sunt modi. Verbum & Testi-
monia verbo addita, *VERBI* Dei par-
tes

tes sunt principales Lex & Euangelium.
TESTIMONIA verò sunt omnia o-
 pera Dei, quæ ad confirmandum ver-
 bum suum Deus omnibus temporibus
 in genere humano edidit.

*Sunt ne diuersa doctrinarum genera
 Lex & Euangelium?*

Diligenter hæc duæ partes Verbi discernen-
 dae sunt, & tamen sciendum est, nunquam à se in-
 uicem hæc genera doctrinarum diuellenda esse. Ac
uniuersaliter ex Euangelio sumendam esse Legis
 declarationem. Sic autem Lex & Euangelium
 differunt.

LEX Dei, quæ nominatur Lex moralis, est
 sapientia æterna & immota, in Deo, & norma iu-
 stitiæ in voluntate Dei, discernens bona & mala,
 quæ est patefacta rationali creaturæ in creatione,
 & postea sæpe repetita & sancita voce diuina in
 Ecclesia, ostendens, quod sit Deus, & qualis sit, &
 quod sit iudex, obligans omnes rationales creatu-
 ras, ut sint conformes illi normæ Dei, et damnans
 omnes, ac denuncians horribilem destructionem
 omnibus, qui non congruunt ad illam normam
 Dei, nisi sit facta reconciliatio propter Mediato-
 rem, iuxta dictum: Maledictus, qui non manet in

omnibus, quæ scripta sunt in Lege. Item in Psalmo: Non Deus volens peccatum tu es. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem &c.

Definitio
Euangelij
arrosa à Ie-
nensibus
Theologis
extat in li-
bello Defi-
nitionum
Philippi,
Corpore
doctrinæ
folio 865. &
alibi pas-
sim,

EVANGELIUM est prædicatio pœnitentiæ, & promissio, quam non novit ratio naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus affirmat se gratis, non propter vlla nostra merita, aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Filij credentibus in Filium certò remittere peccata, & donare eis imputationem iusticiæ & reconciliationem, in qua Filius Dei voce Euangelij consolatur & viuificat corda credentium, & liberat eos à morte æterna, & facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto, sanctificante eos, & accedente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, & donat hæreditatem vitæ æternæ credentibus, quod propter ipsum gratis habeant remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, reconciliationem, & hæreditatem vitæ æternæ.

Quæ virtutes præcipiuntur in affirmatiua sententia primi Præcepti, iuxta declarationem Euangelij?

Septem sunt maximè insignes & conspicuæ virtutes primi Præcepti:

~~Septem~~ *Septem* gebada *erfordert* *Esot* *non* *vera*

1. Vera noticia Dei. *vera noticia*
2. Fides. *Cognitio*
3. Dilectio. *Et sunt in*
4. Spes. *voluntate*
5. Timor Dei. *parafurdo*
6. Humilitas.
7. Patientia. *longe, et*

Hæc enumeratio rectissimè sumitur ex verbis. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes. Necesse est enim noticiam monstrantem quis sit verus Deus, omnibus affectibus voluntatis & cordis erga Deum prælucere. Quia ignoti nulla cupido. Hanc veram noticiam comitantur affectus in voluntate & corde. Quia enim initio proponitur dulcis & grata consolatio, non obscurum est postulari fidem, quæ & hanc consolationem amplectitur, & omnibus partibus doctrinæ à Deo traditæ assentitur. Cum autem mens statuit comminationem Legis esse veram, oritur Timor Dei. Et quia cum fide coniuncta est læticia, orta ex agnitione misericordie, beneficiorum & præsentie Dei, existit in corde dilectio. Postea ut Fidei cognata est spes: Sic timori vicinæ virtutes sunt, Humilitas & Patientia. Harum virtutum hæc sunt descriptiones.

VERA NOTICIA DEI, est Deus sic agnoscere, sicut se patefecit, eundemq; à

commenticijis numinibus discernere, nec aliud de
essentia Dei, aut de voluntate, aut de cæteris arti-
culis fidei assenerare, quàm quòd ipse tradidit in
Scriptis Prophetis & Apostolicis.

FIDES est noticia, qua firmiter assensu am-
plectimur totam doctrinam, à Deo traditam Ec-
clesiæ, & in hac etiam promissionem reconcilia-
tionis, quam apprehendentes accipimus remissio-
nem peccatorum fiducia Filij Dei, & hac fiducia
acquiescentes accedimus ad Deum, & nos recipi
& exaudiri statuimus.

SPES est expectatio vitæ æternæ pro-
pter Filium Dei certa, & expectatio auxiliij et mi-
igationis calamitatum in hac vita iuxta consili-
um Dei.

DILECTIO DEI est subijcere se Deo,
& facere mandata eius cum quadam lætitia, quæ
oritur à fide apprehendente misericordiam Dei
propter Filium promissam.

TIMOR FILIALIS est expauescere
agnitione iræ Dei aduersus peccatum, & simul
erigi fiducia misericordiæ, ne in pauore deficia-
mus à Deo.

HVMILITAS est verè timere De-
um: & agnoscere propriam infirmitatem, & tamē
in fide obedire vocationi, & expectare à Deo au-
xilium & liberationē, nec appetere maiora quam
pro

pro vocatione, nec suis viribus tribuere euentus salutare, nec despiciere alios, per quos Deus etiam utiliora gerere potest.

PATIENTIA est obedire Deo in tolerandis aduersis, ita vt non faciamus aliquid contra mandata Dei, nec Deo irascamur, sed fide agnoscamus eum nobis propitium esse, & expectemus auxilium, mitigationem, aut liberationem, & hac fide & spe dolorem leniamus.

*Quæ est negatiua sententia primi
Præcepti?*

Negatiua sententia seu antithesis comprehensa est his uerbis: *Non habebis Deos alienos coram me.* Sunt autem Dii alieni, non tantum commenticia Ethnicorum numina, sed omnia, quibus præter verum Deum confidunt corda hominum. Itaque habere Deos alienos est creaturis tribuere ea, quæ solius Dei sunt, vt cum rebus creatis confidimus, & in eis præsidia & salutem nostram collocamus, easque Deo anteferimus, id est, plus diligimus & timemus, quam Deum ipsum.

*Quæ sunt peccata pugnancia cum
primo præcepto?*

Quinque

Quinq; gradus maximè insignium peccatorum constitui possunt, quæ horribiliter pugnant cum primo Præcepto.

Primus gradus est *EPICURAEVS FVRORE* contemnens Deum, & Academica dubitatio de Deo.

Secundus est *IDOLATRIA*, Cùm aut fingitur aliquid esse Deus, quod non est Deus: Aut cùm alligatur Deus ad aliquam rem, cui se non alligavit suo verbo. Aut cum tribuitur creaturæ honos soli Deo competens: Aut cum excogitantur opiniones de Deo, & cultus sine verbo Dei. Ad hunc gradum referatur & *SUPERSTITIO*, quæ tribuit cuicumq; rei aliquam vim sine ordinatione diuina, & sine causis naturalibus.

Tertius gradus est *HAERESIS*, id est, pertinax asseueratio alicuius dogmatis pugnantis cum fundamento, seu cum perspicuis præceptis moralibus, aut articulis fidei.

Quartus gradus appellatur *MAGIA*, quæ ad Diabolos transfert fiduciam Deo debitam, & cum ijs ex pacto societates iungit, & opem ab ipsis petit.

Quintus est *HYPOCRISIS* seu simulatio pietatis sine timore Dei & fide, Ad hunc gradum pertinent *Securitas*, *Superbia*,

bia, Fiducia & admiratio sui, Impatientia
& Desperatio. *Quæ vitia propriè sunt opposita
Timori Dei, & fiducia auxiliij diuini. V. g. scandalum ..*

DIC II. PRÆCE

PTVM.

Non assumes nomen Domini
ni Dei tui in uanum, Quia non
habebit Deus innocentem, qui
nomen ipsius uane usurpauerit

*Quid significat Nomen Dei, & quid est
nomen Dei in uanum su-
mere?*

Nomen Dei est, quicquid ex re-
uelato verbo de Deo prædicatur. No-
men autem Dei in uanum sumere, signi-
ficat irreuerenter uti nomine Dei, sine
honore & veneratione debita.

*Quæ sunt virtutes secundi Præ-
cepti?*

Quatuor sunt præcipuæ virtutes, in
quibus consistit verus vsus nominis diuini:

ni: Inuocatio Dei, Gratiarum actio, Confessio, & Iurisiurandi religio.

I N V O C A T I O DEI est virtus, quæ à vero Deo per effectum in promissione Euangelij & missio Filio petiti bona æterna & præsentia, & repugnans dubitationi certò statuit, nos exaudiri, & bona optata impetrare iuxta ipsius promissiones propter Christum Mediatorem.

G R A T I A R V M ACTIO est testificatio animi, qua agnoscimus & profitemur, quòd non casu, non humanis præsijs, sed à Deo seruati, ac defensi sumus: & quòd verè nos respiciat, nobis adsit, & opituletur etiam tum, quando desistimur à causis secundis.

C O N F E S S I O est verè & constanter coram Deo & hominibus veram Euangelij doctrinam profiteri, neq; abijcere eam propter terrores, odia, supplicia, aut alia quæcumq; pericula.

I V R A M E N T V M est asseueratio de re possibili & licita, facta cum inuocatione Dei, quem petimus, ut sit testis dictorum, & puniat fallentem, & nos ipso teste ad pœnam obligamus, quasi arguentes eum mendacij, si non puniat fallentem.

Quomodo coheret secundum Preceptum cum primo?

Prima

Prima Lex Decalogi præcipit cultum cordis interiorum, Cùm autem cor ardens luce & amore Dei, patefaciat motus interiores voce celebrante Deum: mox in secundo Præcepto dicitur de usu sermonis, ut gubernetur lingua, quæ exprimit & reuelat virtutes primi Præcepti.

An non potest Inuocatio & Gratiarum actio fieri sine recitatione oris?

Potest Inuocatio & Gratiarum actio fieri etiam cogitatione mentis. Sed tamen Deus expressam vocem postulat, tanquam confessionem, quæ Ecclesia priuatim & publicè sese ab idolis seiungit: & se quisq; erudit: & excitat ad ardorem in inuocatione: et hac tanquam Gorgone pellis Diabolum, qui nulla tela magis reformidat, quàm preces piorum, et illam expressam de Deo testificationem.

Quæ peccata pugnant cum secundo Præcepto?

Omnes abusus nominis diuini, ut sunt sermones omnes, quibus peccata contra primū Præceptum, abditè latentia in corde, in lucē proferuntur, ut verbi causa, Epicuræi, Stoici & Academici furores, omnes falsæ inuocationes, omnes corruptelæ veræ doctrinæ, Magicæ incantationes

*incantationes, omnia periuria, omnes blasphemiae. Præterea neglectio inuocationis, ingrati-
tudo aduersus Deum, Abiectio veritatis
in Confessione aut iniustum silentium,
Denique prætextus gloriæ & nominis
Dei, quibus teguntur prauæ cupiditates,
ut multi prætexunt Euangelium private ambi-
tioni, auaritiæ, odio & similibus morbis animi.*

DIC III. PRÆCE

P T V M.

Memento ut diem Sabbathi
sanctifices.

Quid significat vox Sabbati?

Sabbatum significat Hebræis quie-
tem, à verbo *שבת* quieuit. Et cum eadem dicti-
one congruunt duæ priores literæ vocis *שבת*, quæ
numerum septenarium significat.

*Quot sunt species Sabbati, quarum sit
mentio in Scriptura?*

Quinq; species Sabbathi sunt, de
quibus sacræ literæ concionantur.

Primum

Primum est *SABBATHVM* *CREATIONIS*; de quo dicitur Gene. 2. Sex diebus fecit Deus cœlum & terram, & requieuit die septimo, non quod postea desierit Deus adesse suo operi, quod ad sustentationē & conseruationem: Sed quia post hominem conditum cessauit Deus alias res condere. Non enim novos mundos, aut nouas Elementorum & animantium species creare deinceps voluit, ut ostenderet hominem esse extremum & summum opus, quo delectetur, ac in quo velit acquiescere.

Secundum *SABBATHVM* est *PAEDAGOGICVM*, videlicet Cæremonia externa, ordinata ad diem certum, quo conceditur corporibus quies ab operis seruilibus. Sicut dicitur Deuteron. 5. Non facies in Sabbatho quidquam operis, tu & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, bos & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus, qui est intra portas tuas, ut requiescat seruus & ancilla tua, sicut & tu.

Tertia species est *SPIRITUALE* *SABBATHVM* animæ, de quo Lex Dei in primis præcipit, quod est, deditū esse studio doctrinæ cœlestis, & quietem agere à peccatis seu malis operibus.

C De

De hoc Sabbato commonefactio erat externa quies corporum, Idq̄ significant Leges toties repetitæ de Sabbato, vt in Exod. cap. 31. dicitur: Videte vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, vt sciatis, quod ego sum Dominus, qui sanctifico vos. Custodite Sabbatum. Sanctum est enim vobis & pactum est sempiternum inter me & filios Israel signumq̄ perpetuum.

Quarta species est admiranda *QUIES FILII* Dei in passione: De qua Paulus inquit: Eximaniuit se, factus Patri obediens vsq̄ ad mortem crucis, Et Irenæus lib. 3. dulcissimè inquit: Sicut homo erat, vt tentaretur: Sic & verbum erat, vt glorificaretur, requiescente quidem verbo vt posset tentari, crucifigi & mori.

Quinta species est *SABBATVM AETERNVM*, quod promittitur Ecclesiæ resuscitatæ ex morte, vt Esaia ultimo, Erit Sabbatum ex Sabbato, videlicet, cum Deus erit omnia in omnibus.

Quid significat verbum sanctificare?

SANCTVM propriissimè loquendo tribuitur Deo, & rebus diuinis. Opponitur enim ei quod
pro-

prophanum est. Ideo sæpè significat aliquid dicatum Deo seu v'sibus diuinis. Ita SANCTIFICARE usurpatur de actionibus, quibus Deus se nobis communicat, & quibus nos vicissim ornamus gloriam Dei. Est igitur SANCTIFICARE SABBATHVM, idem quod Deo & rebus diuinis destinare, quod fit docendo & discendo verbum Dei, & exercendis officijs, quibus ornatur & propagatur ministerium Euangelij.

Quomodo coheret tertium Præceptum cum duobus precedentibus?

Sicut primum præceptum de cultu cordis : Secundum de cultu oris præcipit: Ita tertium de cultu cæremoniarum, & reuerentia externa toti ministerio debita docet, & gradus docentium & discipulorum in Ecclesia constituit.

Quæ sunt officia docentium in Ecclesia?

MINISTER Euangelij doceat purè & incorruptè Legè & Euangeliū & ad

C 2

ministris

ministret Sacramenta secundum Christi institutionem. Præterea moribus honestis ornet Doctrinam, sicut prolixè Paulus vitam Episcopi describit ad Titum cap. 1. & 1. Timot. 3.

Quæ sunt Auditorum Euangelij officia?

AUDITORES diligenter discant Euangelium, & piè vtantur Sacramentis: & libenter intersint publicis cœtibus sacris: & agnoscant quantum bonum sit ministerium publicum: & pro hoc orent & Deo gratias agant: Præterea ornent honesta vita professionem Euangelij, venerentur pios ministros, soluant eis debitas mercedes: Denicq; & obediant eis iuxta Euangelium.

Quæ sunt peccata pugnantia cum Tertio Præcepto?

Pugnant cum Tertio Præcepto omnia scandala, quibus corrumpitur doctrina, & prophanantur Sacramenta, & deformatur ministeriũ & Ecclesia. Item, negle-

Imp

neglectio, contemptus & odium ministerij, videlicet, doctrinae & Sacramentorum, & personarum seruientium Ecclesiae persecutio. Item, ludi prophani, & labores seruales, quibus impeditur ministerium. Denique helleuationes & commestationes diebus festis, quibus turbatur intentio animi, & meditatio rerum diuinarum.

Cur mutato die septimo Christiani prima die celebrant Sabbathum?

Iudaei mandato Dei celebrarunt Sabbathum die septimo, qui est dies Saturni, vt vulgo nominatur, propter memoriam creationis rerum omnium. Sed Apostoli & horum discipuli propter memoriam resurrectionis Christi, & vt ostenderent exemplum Christianae libertatis, in abrogandis caeremonijs, pertinentibus ad politiam Mosaicam, elegerunt primum diem, quae vocatur Dominica, seu dies Solis, abolitis simul ritibus sacrificiorum, quae apud Iudaeos vsitata fuerunt. *Procyllides inquit:*

Imprimis venerare Deum max. sem. Deo parere. Dic

+ parentes & amicos, & proximos cognatos

22

DE DECALOGO.

DIC III. PRÆCES

PTVM. Solon.

parentes reuerere.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. *Quia fructus parentibus eadem & a liberis expræta.*

Quid significat honor?

Verus HONOR est comprobatio rei cuiuscunq̃, tribuens ei præstantiam & reuerenter se ei subiiciens propter diuinum aliquod bonum, Est enim fundamentum honoris, bonum aliquod diuinum in re aut persona aliqua. Gradus verò honoris sunt: PRIMVM, Honestã opinio in mente de persona aut re, quod diuinitus ordinata, & per se bona sit. SECUNDO vera cordis subiectio, & officia externa, quibus ostendimus nos venerari ordinem diuinum.

Quid complectitur appellatio Patris & Matris?

Parentum appellatione comprehenduntur, PRIMVM ñ, à quibus ortum et originem secundum naturam ducimus: DEINDE omnes, qui nobis sunt loco parentum, & in nos imperium
ex

ex superiori potestate tenent, vt Præceptores, Magistratus, Patresfamilias, Tutores, Curatores &c. Bonus enim gubernator à bono Patre non differt.

Cur quartum Præceptum primum locum obtinet in secunda

Tabula?

Cùm secunda Tabula ordinet societatem humanam: pulcherrimo ordine primum constituuntur gubernatores, & personæ atq; officia in communi societate aptè distribuuntur. Et orditur vox diuina à primo gradu gubernationis, videlicet à parentibus, qui debent esse regula aliorum gubernatorum. Constitutis autem gubernatoribus, qui sunt custodes disciplinæ in communi societate, postea sequuntur Præcepta singulorum, quæ arcuent singulorum iniurias.

Quæ sunt virtutes pertinentes ad quartum Præceptum?

Virtutes quarti Præcepti sunt: Pietas parentum & liberorum mutua. Iusticia vniuersalis in gubernatoribus, & in subditis: Iusticia coniugum inter sese: sedulitas.

Quæ sunt officia parentum?

C 4

Paus

Paulus ad Ephesios 6. insigne præceptum tradit de officijs parentum: Educate liberos vestros in doctrina & disciplina Domini. Vult igitur patres familias suæ familiæ præstare non solum nutritionem & defensionem: sed etiam communicationem doctrinæ de Deo, & assuefactionem ad exercitia honestæ gubernationis vitæ & morum.

Quæ sunt officia Gubernatorum?

Magistratus debet esse custos totius Legis, quod ad externam disciplinam attinet. *PRIMUM* igitur debet sonare vocem Legis moralis in genere humano, & proponere summas & immutabiles Leges, prohibentes idola, blasphemias, periuria, iniustas cædes, vagas libidines, furta & fraudes in contractibus & iudicijs. *SECUNDO* suas quasdam Leges ferre potest, non pugnantes cum iure naturæ, quæ sint & probabiles & vitales ad conseruandum statum Reipublicæ. *TERTIO* sit Magistratus executor diuinarum & suarum legum in puniendis violatoribus. *QUARTO* defendat obedientes contra iniurias improborum, iuxta Pauli dictum: Sit timori malo operi, & honori bono operi.

Quæ

*Quae sunt officia Liberatorum erga Paren-
tes, & subditorum erga Ma-
gistratus ?*

Syracides capite tertio inquit: Ho-
nora parentes sermone, opere & patien-
tia. Primùm vult liberos agnoscere ordinem di-
uinum, & reuerenter sentire & loqui de paren-
tibus. Deinde veram cordis subiectionem requi-
rit, quae in externis officijs praestet obedientiam
sine contumacia. Postremo postulat ἐπιείκεια
seu aequitatem in tolerandis Parentum infirmitati-
bus.

Eadem debent subditi & Magistrat-
ibus. Primùm ut agnoscant ordinem politicum
esse opus Dei, & sciant Magistratus maximorum
bonorum custodes esse in genere humano, & per-
sonas diligendas esse propter Deum. Deinde ut
praestent obedientiam legibus Magistratum, &
non solùm precentur pro gubernatoribus, sed eti-
am stipendia debita non grauatim persoluant. Po-
stremo, ut tolerant quasdam infirmitates guber-
natorum: Quia nulla est tam felix gubernatio, in
qua non multa errata accidant.

*Quae sunt officia Coniugum in-
ter sese ?*

C 5

Pri-

Primum est amor mutuus. Alterum est fides Coniugalis. Tertium est societas bonorum & ærumnarum. Quartum est defensio, quam maritus debet uxori.

Quid à singulis hominibus prestari debet in vocatione?

Cùm Deus neminem velit ignauo ocio torpescere & singulos in certam vocationem collocet, necessaria est virtus omnibus sedulitas, de qua Paulus inquit: Hoc requiritur in ministro, ut sit fidelis, hoc est, Singuli homines constanter & firmiter debent propter Deum & communem salutem facere labores vocationi proprie conuenientes.

Quæ sunt peccata pugnantiæ contra quartum Præceptum?

In parentibus & gubernatoribus Tyrannis & Indulgentia. In liberis & subditis असोꝑꝑꝑꝑ, Contumacia, Seditio, Seruitus impia. In vocatione cuiuscumque: Ignauia & Curiositas.

Quid

*Quid significat Longæuitas, quam Deus
promittit obtemperantibus huic
Præcepto?*

Non tantùm referenda est longæui-
tas ad ætatis & annorum numerum, seu
ad longum spacium vitæ, sed ad omne
genus prosperitatis, quod ad felicem &
tranquillam vitam pertinet, *Vt sunt sani-
tas, vxor, liberi, familia, commoda functiones, pax,
bene constituta Respublica, bonæ leges, Oecon-
omia felix. Deniq; omnia præsidia salutaria, sine
quibus nihil voluptatis aut lætitiæ hæc vita cor-
poralis habet.*

DIC V. PRÆCE-
PTVM.

Non occides.

*Quæ sunt virtutes quinti Præ-
cepti?*

Pertinent ad quintum Præceptum
multæ virtutes, Fortitudo, Mansuetudo,
Aequitas, Misericordia, Amicitia, Hu-
manitas, Clementia, Zelus, studium,
Concordiæ.

For=

FORTITUDO est propugnatrix iusticie, videlicet depellens pericula, quæ recta ratio iubet depellere, & ita perferens ærumnas, quas recta ratio iubet perferre, ne fracti dolore faciamus contra iusticiam aut alias virtutes.

MANSVETUDO est virtus, quæ moderatur iram, & multas iniurias condonat tranquillitati publicæ.

ÆQUITAS seu ἐπιεικεία est probabilis mitigatio summi iuris in aliqua circumstantia, præsertim in eo casu, de quo non loquitur Lex principaliter. Inter priuatos verò æquitas nominatur etiam lenitas illa, quæ versatur in tolerandis aliorum infirmitatibus, & in tegendis erratis, imò etiam in sanandis manifestis delictis ante contumaciam.

siu fortis lux in dicitur in **MISERICORDIA** est affici sensu *et mitis virtus* alienæ calamitatis, præsertim iniustæ, & opitulandi *unde videtur angelus* *si singulis cupit sibi* *non misericordiam* *ergo et ipsi alijs* *videtur.* *si* iniustè oppressis, pro vocatione aut probabili vocatione mitigare iustam calamitatem.

AMICITIA est virtus pro vera benevolentia reddens veram benevolentiam, & præstans mutua quædam officia, pro modo facultatum, liberali pectore, virtutis amore.

HUMANITAS est copulatio multarum virtutum secundæ tabulæ, videlicet iusticie

cie, mansuetudinis, equitatis, beneficentiæ, comi-
tatis & aliarum, in quibus summa est suauitas ac
moderatio.

CLEMENTIA est benefacere bonis,
eosq; discernere à malis, & moderari pœnas illo-
rum qui sunt sanabiles.

ZELVS est ardens amor iusticiæ & alia-
rum virtutum, & indignatio ardens aduersus
omnem turpitudinem & scelera.

STVDIVM CONCORDIÆ est
iusticia diligenter cauens, ne pugnet de vlla re
non valde necessaria, ne Ecclesia distrahatur, aut
turbetur inuocatio, & sequantur bella & vasta-
tiones.

Quæ prohibentur in hoc Præcepto?

Christus Matthæi quinto, quatuor
gradus recenset pugnâtes cum hoc Præ-
cepto. Primus gradus est violentia. Se-
cundus est ira iniusta. Tertius est gestus
ostendens malevolentiam, *Raka*. Quartus
est contemptus proximi, *Fatuus*.

*Est ne omnis ira peccatum? Item, Est ne
omnis vindicta prohibita?*

Quintum Præceptum prohibet iracundiam
iniustam, quæ temerè irascitur proximo, & dam-
nat

nec cupiditatem privatae vindictae. Non autem prohibet iram vocationis, quae irascitur vitijs, nec abolet officium Magistratus, qui exercet vindictam in puniendis delictis congruentem cum mandato Dei, & necessariam ad conseruationem societatis humanae.

DIC VI. PRÆCE

PTVM.

Non mœchaberis.

Quae sunt virtutes sexti Præcepti?

Duæ virtutes sunt sexti Præcepti: Castitas & Temperantia. Castitas non tantum in Coniugio, sed etiam in vita cœlibe vitat omnes libidines seu contaminationes corporum prohibitas. Temperantia seruat mediocritatem in cibo & potu conuenientem naturæ, & non impediens exercitia inuocationis, & aliarum virtutum.

Quae sunt peccata prohibita in sexto Præcepto?

Non modo adulteria, stupra, incoestit concubitus, sed etiam spurcæ & impudicæ

dicæ cogitationes, obscœni sermones, lasciuï gestus, deniq; omnes illicitæ flammæ libidinum. Item, ebrietas, crapula, helluationes, intemperantia, Quærere occasiones & illecebras, quibus accenduntur aut fouentur fœda animorum incendia.

DIC VII. PRÆCEPTVM.

Non furtum facies.

Quid nominatur furtum in genere?

Furtum est contrectatio rei alienæ, quæ fit invito Domino sine compensatione.

Quæ sunt virtutes huius Præcepti?

Sicut sextum Præceptum Coniugia sancit: Ita septimum approbat contractus legitimos, dominia distinguit, proprietatem rerum ordinat, & rectum usum facultatum præcipit.

Sunt igitur virtutes septimi Præcepti, Iustitia commutatiua, Liberalitas, Parsimonia, Gratiitudo.

Iusti

IUSTITIA COMMUTATIVA est, quæ in commutatione rerum seruat æqualitatem, ne altera pars exhauriatur.

LIBERALITAS est virtus, quæ communicat facultates & operas non debitas obligatione civili, sed naturali, & efficit mediocritatem inter sordes & profusiones.

PARSIMONIA est virtus, quæ res proprias custodit & utiliter collocat, vitat sumptus non necessarios, & tamen ubi ratio iubet, expendit quantum conuenit.

GRATITUDO est virtus mixta. Constat enim partim ex veritate, quæ proficitur, quæ & quanta beneficia acceperit: partim ex iusticia, quæ studet reddere æqualitatem pro facultate suo benefactori.

Quæ peccata prohibentur in septimo Præcepto?

Non tantum manifesta furta & rapinæ, fraudes & imposturæ in contractibus: sed etiam auaritia, cupiditas iniusti lucri, Item, profusiones & sumptus non necessarij. Tenacitas in comunicandis bonis, Ingratitudo erga bene meritos,

Dic

DIC VIII. PRÆCE-

PTVM.

Non loqueris falsum testimo-
nium contra proximum tuum.

*Quid nominatur falsum testimo-
nium?*

Falsum testimonium est Oratio
qua aliter loquimur, quàm habet veritas,
& quàm nos nouimus & sentimus,
Idcirco in proximi nostri damnum ac per-
niciem.

*Quas virtutes precipit Octauum
Præceptum?*

Octaui Præcepti virtutes sunt: Veritas,
Candor, Docilitas, recta Appetitio gloriae,
Modestia, Est & vicina virtus
verecundia seu pudor, qui cum omnes
homines, tum in primis ætatem puerilem
debet.

*VERITAS est virtus, quæ inclinat
voluntatem, ut veras sententias amemus, ve-
ra constanter dicamus, & tueamur, & in gestu*

D

AC

ac omni vita vitemus simulationes & occultationes.

CANDOR est virtus vicina veritati, quæ propter rationem probabilem approbat alienas voluntates, & non habet malevolentiam, quædam etiam ambigua flectit in meliorem partem: ac benè quidem sperat, seæ tamen vt de rebus mutabilibus cogitans posse mutari voluntates, & posse hominem errare de aliena voluntate, cum non penitus aspiciantur latebræ humani pectoris.

DOCILITAS est virtus, vicina modestiæ & veritati, qua frenantur animi, ne sentiant de sese arroganter, ne admiratione propriæ sapientiæ contemnant aliena iudicia, & conuicti veris sententijs cedant.

GLORIA est testimonium conscientie rectè iudicantis, & approbatio aliorum rectè iudicantium de virtute.

MODESTIA est virtus, qua in opinione de nobis & in sermone & gestu, seruamus convenientiam, videlicet, ne nobis in opinione aut in sermone maiora imbecillitate nostra tribuamus, neue appetamus maiora, neue in gestu discedamus à natura & personarum ac locorum ordine.

Que peccata prohibet?

Pugnant cum octauo Præcepto,
Mendacium, Calumnia, Suspicio, Adulatio,

latio, Pertinacia in falsis sententijs, Præ-
stigiæ sophismatum, in religione, in ar-
tibus & iudicijs, Maledicentia, Scurrili-
tas, Obtrectatio, Leuitas, Violatio pa-
ctorum & fœderum, Ambitio, Impu-
dentia.

Est ne omnis occultatio peccatum?

*Duplex est occultatio. Alia insidiosa, quæ
studio nocendi oritur. Alia officiosa, quæ est figu-
ra sermonis, qua aliquando sancti & sapientes
cum magna laude utuntur, ad tegenda quædam,
quæ non necesse est patefieri. Vetustas sic distin-
xit: Mendacium dixit aliud esse Perniciosum, ali-
ud Officiosum, aliud Iocosum.*

DIC IX. PRÆCE

P T V M.

Non concupisces domum
proximi tui.

DIC X. PRÆCE

P T V M.

Nec desiderabis uxorem proxi-
mi tui, non seruum, non ancillam,

D 2 non

non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Cur adduntur hæc duo Præcepta?

Postrema duo Præcepta sunt interpretatio præcedentium mandatorum, & monstrant discrimen inter leges politicas, & legem Dei. Nam leges politicae sunt qualecunq; frenum, quo externa disciplina regitur & tantum accusant externa delicta atrociora, ut verbi causa, seditioes, caedes, adulteria, furta, mendacia. At lex Dei requirit interiorem mundiciem, & integram conformitatem: & accusat non tantum externa delicta, sed etiam defectus & prauas inclinationes in corde. Ideo Paulus inquit: Non nouissem, quod concupiscentia sit peccatum, nisi Lex dixisset: Non concupisces. Sic & Christus inquit Matth. 6. Qui vidit alterius uxorem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.

Quid vocatur Concupiscentia in doctrina Ecclesiæ?

Concupiscentia, phrasi recepta in Ecclesia, significat horrendam deprauationem & ἀταξίαν omnium virium in natura

tura hominis post lapsum, *Vt in mente est caligo & dubitationes. In voluntate auersio à Deo, esse sine timore, sine fide, & dilectione Dei: In corde contumacia, immundities, prauæ inclinationes, è quibus oriuntur incendia malorum affectuum, inuidia, iniustæ flammæ, irarum, libidinum, auaricia, mendaciorum.*

Quis vocatur Proximus?

Proximus est quilibet homo, siue bene siue male meritis sit de nobis, Item, siue peregrinus sit, siue domesticus, vt parabola de Samaritano ostendit.

Quæ sunt promissiones & comminationes additæ Decalogo?

Summa promissionum & comminationum legalium addita est primo Præcepto, Exodi 20. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem, eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in multa millia his, qui diligunt me & custodiunt præcepta mea. Sic Leuit. 17. generalis promissio traditur: Qui fecerit hæc

D 3 viuet

viuet in eis. Generalis verò comminatio pertinens ad omnia præcepta est, Deut. 27. Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in lege.

Postea speciales tùm promissiones, tùm comminationes de singulis Præceptis multa passim exsant, vt 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo, contemnentes me erunt ignobiles. Ierem. 17. Si Sabbatum sanctificabitis, Reges & Principes intrabunt per has portas. Alioqui succendam ignem in portis, qui non delebitur.

Prouerb. 30. Oculum, qui subsannat patrem, effodient corui torrentis.

Gene. 9. Qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis eius.

Hebr. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. 5.

Luc. 6. Qua mensura mensi fueritis, eadem re ldetur vobis.

Prouerb. 22. Qui iniuriam facit pauperi, egebit.

Prouerb. 12. Abominatio Deo sunt labia mendacia.

A 12

An non Lex Mosi est abrogata, iuxta dictum: Lex & Prophetia usque ad Iohannem?

Discernendæ sunt partes Legis Mosaicæ: Alia est Lex Moralis, cuius summa est comprehensa in Decalogo, Hæc non potest aboleri, & manet æterna & immota obligatio ad obedientiam, in omnibus hominibus. Aliæ verò sunt Leges forenses & cæremoniales, quæ fuerunt latæ, ut durarent ad certum tempus, donec mansura erat politia Mosaica: Quare deleta politia Mosaica hæ Leges simul sunt abolitæ, & prorsus sunt extinctæ, nisi in quantum aliquæ ex his habent aliquid morale aut naturale.

Quis est ergò vsus Decalogi, cum non possit aboleri?

Triplex est vsus. Primus est **POLITICVS** seu **PAEDAGOGICVS**, videlicet regere disciplinam in omnibus hominibus etiam non renatis & Ethnicis.

Secundus vsus est **SPIRITUALIS**, videlicet accusare omnia peccata in

D 4 hominibus

hominibus, interiora & exteriora, & totam deprauationem.

Tertius vsus est, in renatis docere, qui *CULTVS* placeant Deo.

Potest ne hac infirma natura hominum satisfacere Legi?

Si non fuisset Adam lapsus, fuisset in tota hominis natura conformitas cum lege Dei. Nunc verò postquam deprauata est natura hominum per peccatum, nequaquam homo potest satisfacere legi Dei. Ideo Paulus inquit Rom. 3. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Item, Omnes peccauerunt & carent gloria Dei.

Est ne Disciplina possibilis?

Nominatur *DISCIPLINA* gubernatio locomotiuæ, id est, externorum gestuum, & est obedientia externa, iuxta mandata Dei, ita ne externa membra committant delicta prohibita lege Dei. Estq; possibilis hominibus etiam non renatis, sed non meretur remissionem peccato-

catorum, nec est iusticia coram Deo, nec est impletio legis.

Cur necessaria est Disciplina?

Propter quatuor causas, *PRIMA* est: Necessitas obtemperandi mandato diuino.

SECUNDA: Necessitas vitandi poenas atroces.

TERCIA: Necessitas non turbandi alios.

QUARTA: Vt Disciplina sit pædagogia in Christum.

Quomodo in renatis inchoantur opera precepta in lege: & placet ne inchoata obedientia

Deo?

PRIMUM fide agnoscendus est Mediator, propter quem persona fit accepta Deo. *POSTEA* accepto Spiritu sancto inchoatur obedientia congruens cum lege *DEI*, & hæc quanquam imperfecta est, tamen placet Deo in persona reconciliata propter Filium Mediatorem, per fidem.

D 5

Quo =

Causæ, propter quas disciplina præstanda sit, atrofæ à Ihenensibus extant in Examine Theologico, titulo de Iustificacione, Corpore doctrinæ, pag. 766. & alibi passim.

*Quomodo interpretatur Euangelium com-
minationes & promissiones
legales?*

- I. *Æternæ maledictioni legis Euangelium op-
ponit prædicationem pœnitentiæ & promissionem
vniuersalem & gratuitam de Remissione pecca-
torum, & de acceptatione coram Deo ad vitam
æternam, propter Filium Dei Mediatorem.*
- II. *Sic & comminationes pœnarum corporali-
um legi additæ habent exceptionem ex Euangelio
de conuersione, qua impetratur aut liberatio aut
mitigatio pœnarum corporalium.*
- III. *Omnes promissiones legales etiamsi addi-
tam habent in lege conditionem integræ obedi-
entiæ, quæ in hac vita à nemine præstari potest: Ta-
men fiunt ratæ & firmæ credentibus in filium Me-
diatorem, iuxta Pauli dictum: In Christo omnes
promissiones sunt Amen.*
- IIII. *Promissiones bonorum corporalium in-
telligendæ sunt cum exceptione crucis & castiga-
tionis, & ne bona corporalia rapiantur nostris
consilijs sine uocatione.*

Quid est peccatum?

PECCATVM est, quicquid est
contra Legem Dei. Vel: **PECCA-
TVM** est defectus, vel inclinatio, vel ac-
tio

ctio contra Legem Dei, offendens Deum, & commerens iram æternam, nisi fiat remissio propter filium Mediatorem.

Quæ est prima diuisio peccati?

Peccatum aliud nominatur *ORIGINALE*, aliud *ACTUALE*.

Quid est peccatum Originale?

Peccatum *ORIGINALE* est reatus propter Adæ lapsum, & propter priuationem lucis diuinæ, & firmæ agnitionis Dei in mentibus hominum, & propter contumaciam cordis, quæ mala secuta sunt lapsum Adæ in natura hominum, & sunt inimicitia aduersus Deum, & damnata à Deo.

Quid est peccatum Actuale?

Peccatum *ACTUALE* est omnis actio pugnans cum Lege, tum in mente, vt dubitationes de Deo, tum in voluntate et corde, vt incēdia malorum affectuum

um

um, tum in membris externis, vt exter-
næ actiones pugnantes cum lege Dei.

Que est secunda diuisio Peccati?

Secunda diuisio peccati tantum ad
renatos pertinet. Nam in non renatis
omnia peccata originalia & actualia sunt
mortalia, sed in renatis alia peccata sunt
MORTALIA seu *REGNANTIA*,
Alia *VENIALIA* seu non *RE-*
GNANTIA.

Peccatum *MORTALE* in renatis
est, cum is qui fuerat renatus, assentitur
errori in fundamento, aut labitur contra
conscientiam, Tunc enim amittit grati-
am, Spiritum sanctum & Fidem.

Peccatum *NON REGNANS*
quod nominatur *VENIALE*, est in
renatis in hac vita malum originis & du-
bitationes, & incendia malorum affectu-
um, quibus tamen repugnant renati, ne
ruant contra conscientiam, & dolent
propter has sordes, & credunt se propter
Mediatorem Deo placere, tegi has sor-
des

des, & gratiam exuberare supra peccatum.

REGVLAE duae de Decalogo.

I. Semper prima tabula anteferenda est secundae tabulae. Quia primus est ordo hominis ad Deum conditorem, & gloria Dei anteferenda est omnibus rebus humanis.

II. Primum Praeceptum includendum est caeteris omnibus. Nam propter Deum praestanda est obedientia in omnibus praecipis. Et contra. In violatione vniuscuiusque Praecepti inest contemptus Dei in primo Praecepto.

Cur assidue meditandus est Decalogus?

Meditatio Decalogi necessaria est propter hos fines praecipuos:

I. Vt moneat nos de Deo, quod sit, & qualis sit.

Vt

II. Vt doceat ad quid condita sit natura humana, & qualis ante lapsum homo fuerit.

III. Vt sit norma rectorix vitæ.

IIII. Vt sit speculum peccati.

V. Vt quæramus Mediatorem, qui pro nobis implet legem.

VI. Vt petamus in nobis restitui conformitatem cum lege.

DE SYMBOLO
 APOSTOLICO SEU
 DE SECUNDA PAR-
 te Catechismi.

Quid continetur in Symbolo?

SYMBOLVM est *SVMMARIA* quædam comprehensio articulorum fidei Christianæ, cuius professione, & vero intellectu, distinguitur Ecclesia ab omni

Omniſibus alijs Sectis, quæ ſunt à religione
Chriſtiana alienæ.

Vnde eſt appellatio Symboli?

Symbolum dicitur ἀπὸ τοῦ συμβάλ-
λεῖν. Ac propriè ſignificat ſignum ſeu teſ-
ſeram militarem, quam duces militibus
dare ſolent, vnde ab hoſtibus diſcernan-
tur.

*Cur nominatur hoc Symbolum A-
poſtolicum?*

Quia vel ab Apoſtoliſ composi-
& quali per manus traditum eſt Eccle-
ſiæ, vt vetuſtas ſemper exiſtimavit : vel
quia Apoſtolica doctrina tanquam fun-
damento firmiſſimo niritur.

*Cur quotidie facienda eſt recitatio
Symboli?*

Symbolum Apoſtolicum propter quinque cau-
ſas grauiſſimas quotidie recitandum eſt.

I. Quia eſt commonefactio de præcipuis Deo
operibus ac beneficijs.

Quis

II Quia in hac recitatione, si mens est pia, fit applicatio beneficiorum filij Dei.

III. Quia dulcis consolatio est in summis periculis.

I.III. Quia confessio est contra Diabolos.

V. Quia assuefacit nos, ut cogitemus doctrinae testimonia, videlicet patefactiones Dei, & miracula.

In quot articulos usitate distribuitur Symbolum?

Primus de creatione.

In tres. Secundus de redemptione.

Tertius de sanctificatione.



RECI-

RECITA I. ARTI
CVLVM.

Credo in Deum: Patrem,
Omnipotentem, Creatorem cœli
& terræ.

Cur dicis: Credo in Deum?

Hac forma verborum primùm discernitur fides à noticia intuitiua, quæ res subiectas oculis contemplatur. Est enim **FIDES** certitudo non apparentium.

DEINDE refutatur dubitatio Academica, quæ nullam certam assensionem de Deo retinet. Nam vox credenti *πληροφορίων* significat.

TERTIO, Quia præpositio *εις θεόν* additur, significatur discrimen inter fidem historicam & fidem Christianam. Fides historica est tantùm nosse historiam. Fides autem Christiana est noticia, & assensio in mente, & fiducia in voluntate & corde.

QUARTO, hac voce **CREDO**, quam vnusquisq; recitat, discernitur fides specialis seu propria à fide generali. Fit enim applicatio ad singulos.

QUINTO, Reijciuntur hac verborum forma omnia idola, quæ sunt nihil. 1. Corinth. 8. & fit testificatio, nos omnem fiduciam collocare in
E Deum

Deum nobis patefactum in ipsius verbo nobis ad credendum proposito. Nam fides habet se correlatiuè ad verbum, seu ad promissionem.

Est ne vnus Deus, An verò sunt plures Dij?

VNVS est tantùm DEVS, iuxta dictum Deut. 6. Audi Israel, Iehoua Deus noster Iehoua vnus est, 1. Corinth. 8. Scimus, quod non sit nisi Deus vnus.

Pertinet ne appellatio Dei tantùm ad personam Patris?

DEVS est nomen ESSENTIAE commune tribus personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Ideo Ecclesia ordinem articulorum sic coherere semper docuit: vt post hæc verba: Credo in Deum, vel vt in symbolo Niceno dicitur: Credo in vnum Deum: vsurpauerit distinctionem, cui mox enumeratione subiiciatur explicatio personarum, vt constet, quis sit ille Deus, in quem credimus, videlicet, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ac falsa est interpretatio Fanaticorum, qui per sophisticam fallaciam Compositionis ac Diuisionis hanc vocem (DEVM) ad solum Patrem restringunt, excluso à diuina essentia Filio & Spiritu sancto.

Dic

*Dic testimonium scriptura, quod tres sint
personae Diuinitatis, non plures
nec pauciores.*

Matth. 3. Pater æternus sonat hanc
vocem, qua discernit personam suam à
persona Filij: Hic est Filius meus dile-
ctus, Filius stans in Iordane conspicitur.
Spiritus sanctus specie visibili columbæ
demittitur. Et in institutione Baptismi
nostri inquit Christus: Baptizate omnes
gentes in *NOMINE* Patris & filij, &
Spiritus sancti.

*Quomodo discernuntur personae
Diuinitatis?*

*Non tantum appellationes seu nomina disse-
runt, sed realiter ac distinctis proprietatibus dis-
cernuntur tria ὁμοῦς καὶ μετὰ in una eademq; diui-
na essentia.*

PROPRIETATES sunt dupli-
ces. Aliæ *INTERNÆ*. Aliæ *EX-
TERNÆ*.

INTERNÆ sunt Gignere, Nasci,
Procedere. Nam Pater est persona gignens Fi-

E 2

lium

lium imaginem suam : Filius est integra & substantialis imago Patris, genita à Patre : Spiritus sanctus est amor & lætitia substantialis & coæterna inter Patrem & Filium, procedens à Patre & Filio.

EXTERNAE PROPRIETATES sunt, quæ sumuntur à beneficijs erga Ecclesiam, vt *PATER* non mittitur, *FILIUS* mittitur, vt patefaciat Euangelium, & assumat naturam humanam, & sit Mediator, Redemptor, Iustificator, & Saluator, *SPIRITVS SANCTVS* mittitur in corda credentium, vt tales motus, amorem & lætitiã in eis accendat, qualis est ipse.

Quæ sunt cogitanda de creatione?

Quinq; circumstantiæ consideranda sunt de creatione. Prima est, quòd creatio sit *COMMUNE OPVS*, æterni Patris, Filij & Spiritus sancti. Vt Psalmo 33. dicitur : Verbo Domini cæli creati sunt, & Spiritu oris eius (non quidem creato, sed creante) omnis exercitus eorum.

Secunda, quod omnes res creatæ visibiles & inuisibiles conditæ sunt *EX NIHILO*, vt Ioh. 1. Omnia per ipsum facta

Hæc circumstantia arrota à Ienenlib. Theologis extat

Etia sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Item, Psal. 33. Ipse dixit, & factum est, Ipse mandavit, & stetit.

Tertia circumstantia est, quod Deus **LIBERE & VOLENS**, tunc, cum voluit, condidit mundum. Cum quidem ante mundum esset ab æterno, Sicut Moses inquit: In principio creauit Deus cælum & terram, significans iam tunc eum fuisse ab æterno, cum mundo ortum atq; originem dedit.

Quarta, quod verè sit **PROVIDENTIA** Dei. Quia Deus non discessit à suo opere, & adest vniuersæ creaturæ. Seruat rerum substantias, gubernat motus cælestes, vices tempestatum, fœcunditatem terræ, generationem animantium. Deniq; fouet & sustentat totam naturam, maxime vero Ecclesiam alit & defendit, vt Act. 97. dicitur. In ipso viuimus, mouemur & sumus.

Et 1. Timot. 4. Speramus in Deo vivo, qui est seruator omnium hominum, maximè fidelium.

Quinta, quod **NON** sit **ALLIGATUS** ad causas secundas. Sed sua omnipotentia & libertate propter salutem Ecclesie, aut ad puniendos impios, moderetur causas secundas, aut mutet, aut impediatur, vt Psal. 114. inquit: Deus

E 3

noster

in Examine
Theologi-
co, titulo
de Deo.
Corp. doct.
pagina 752.
Item in ex-
plicatione
Symboli
Niceni. To-
mo operū
Philippi 2.
fol. 231. &
232. & alibi
passim.

noster in cælo, omnia quæcunq; voluit, fecit. *Eccl.*
Luc. 1. Omnia apud Deum sunt possibilis.

Cur Deus condidit naturam?

Deus condidit hoc pulchrum opificium, ut
 se patefaceret: ut testimonia de se ostenderet: ut
 bonitatem suam impertiret multis: ut ex humano
 genere condito ad suam imaginem colligeret sibi
 Ecclesiam, cui lucem, sapientiam & leticiam suam
 communicaret, & ab ea agnosceretur, & cele-
 braretur in omni æternitate.

*Quare Creatio tribuitur Patri, cum sit
 opus commune Diuinitatis?*

PRIMUM idè hoc fit, quia cæteræ perso-
 nae alias habent notas incurrentes in oculos, per
 quas agnosci possunt, ut Filius assumpsit naturam
 humanam, Spiritus sanctus apparet die Penteco-
 stes specie flammaram. Tribuitur ergo creatio
 Patri, tanquam signum & nota monstrans Patrè.
 Deinde etsi per Filium omnia facta sunt, & Spiritus
 sanctus fouet omnes creaturas: tamen ut Pa-
 ter est fons diuinitatis, sic voluntate Patris omnia
 extiterunt. Monstratur ergo ordo creationis, qui
 talis est: Pater vult creationem & totum ordinem
 rerum: Hanc voluntatem exprimit per verbum,
 quo dicente res fiunt, & ordine distinguuntur, &
 Spiritu sancto simul creante, fountur res.

Adul-

los, Sedet ad dexteram Dei Patris
omnipotentis, Inde uenturus est
iudicare uiuos & mortuos.

Quæ continentur in hoc Articulo?

Duo præcipuè: **TRIMVM** descriptio per-
sonæ Christi, **ALTERVM** beneficia seu opera
pertinentia ad officium huius redemptoris. Ea
verò in triplici sunt discrimine: Alia sunt **PRÆ-**
TERITA: ut Incarnatio, Passio, Mors, Sepul-
tura, Descensus ad inferos, Resurrectio, Ascensio
ad cælos. Alia **PRÆSENTIA**, ut Sessio ad
dexteram Patris, Alia **FVTVRA**, ut reditus
ad vniuersale iudicium.

*In quibus consistit vera agnitio
Christi?*

In duobus. In agnitione **PERSONÆ**, & in
agnitione **OFFICII**. De utroq; inquit Esaias
cap. 53. Noticia serui mei iusti iustificabit multos.

Quæ est persona Christi?

Vna est **PERSONA** Christi, sed
NATURÆ sunt duæ: Diuina & Hu-
mana. **DIVINA** λόγος nominatur,
quæ verè ab æterno persona est distincta
à Patre, & tamen eiusdem essentiæ (ὁμοῦ-

σιος

et) cum Patre. Sed *HUMANA* natura certo tempore assumpta est ex matre Maria virgine.

Dic testimonium de persona Christi?

In primis notum sit exordium Euangelij Iohannis, quod Euangelista ideo sic scripsit, ut in illustri loco extaret testimonium de hoc articulo. Sic igitur inquit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & verbum erat Deus, Hoc erat in principio apud Deum.

Et postea: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, Et verbum caro factum est, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.

Quomodo copulate sunt natura due in Christo?

Ecclesia nominat UNIONEM PERSONALEM, quæ non est transmutatio nec confusio naturarum, aut proprietatum inter sese, sed copulatio verè ineffabilis, qua secunda persona diuinitatis massam certam ex genere humano in utero virginis à Spiritu sancto sanctificatam assumit.

E 5

et sibi

In descriptione unionis personalis uocabulum (sustentand) exagitatam à Chemnicio, extat in Examine Theologi-

ro, Corpo.
doct. pag.
755. Et in
utraq; Enar
ratione
Symboli
Niceni titu
lo de Filio
Dei. Tomo
2. operum
Philippi,
pag. 227.
& 322. &
alibi pas-
sim.

& sibi copulat, non solum inseparabiliter, sed eti-
am secundum hypostasim, videlicet, ut una in
Christo persona sit ac maneat, ipsius nimirum
verbi propria, quæ humanam naturam assump-
tam gestet, sustentet ac foueat.

Quod est officium Christi?

Commodissimè his quatuor appella-
tionibus exprimitur officium: Chris-
tus est Mediator, Redemptor, Iustificas-
tor & Saluator.

MEDIATOR est respectu perpetuæ
intercessionis, qua & initio deprecatus est pro
genere humano post lapsum, & se ad poenam sus-
tinendam obligavit, & adhuc pro Ecclesia assi-
duè interpellat.

REDEMPTOR dicitur respectu satis-
factionis, qua $\lambda\upsilon\tau\eta$ seu precium æquualens æ-
terno Patri pro peccatis generis humani persoluit,
et iustitiæ Dei satisfecit, & iram placavit, præstita
obedientia & pænis in se translatis.

Quomodo
Christus sit
iustificator
noster leu.
iustitia no-
stra, arro-
sum à Che-
mnicio, ex-
tat in Enar

IUSTIFICATOR respectu applica-
tionis sui meriti. Quia propter ipsius passionem
& mortem iustificamur coram Deo, id est, accipi-
mus remissionem peccatorum, reconciliationem
cum Deo, imputationem iustitiæ & acceptatio-
nem ad vitam æternam. Deinde & respectu effi-
caciæ

caeciae est Iustificator, quia in his, qui sunt reconciliati, simul restituit iustitiam & vitam aeternam, quae etsi in hac vita tantum inchoatur, tamen postea consummabitur in altera vita.

Postremo SALVATOR dicitur respectu mirandae gubernationis ac defensionis Ecclesiae in hac vita. In primis vero respectu finalis liberationis & glorificationis Ecclesiae post resurrectionem ex mortuis.

Explica pondera vocabulorum in his verbis:

Et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum.

IESVS est nomen proprium huius personae, & significat Salvatorem. Quo nomine etsi in collatione aliorum nominum significatur in primis respectus finalis liberationis seu redemptionis Ecclesiae: Tamen cum seorsum ponitur, omnia beneficia huius personae comprehenduntur. Sic etymologiam exponit Angelus Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum, quia saluum faciet populum suum à peccatis ipsorum.

CHRISTVS est nomen officij, & significat unctum; congruit cum voce

ratione Epistolae ad Romanos cap. 7. Tom. 4. Operum Philippi, pagina 92. Et in Enarratione Symboli Niceni. Tomo. 2. ope. Philippi, pag. 327. Praecipue vero Tomo. 4. oper. Philippi, pagina. 44.

ce Messias, & tribuitur huic personæ, quia est summus Sacerdos & Rex Ecclesie.

SUMMVS SACERDOS EST, quia est persona immediatè missa à Deo ad patefactionem Euangelij: ad placandam iram Dei suo sacrificio, & ad precandum pro nobis, habens testimonium, quod exaudiatur, per quam & exhibentur bona promissa in nouo Testamento. Hæc descriptio sumitur ex officijs Sacerdotis, quæ sunt quatuor: Docere, Sacrificare, Orare, Benedicere.

REX verò est, quia colligit sibi Ecclesiam per ministerium Euangelij omnibus mundi temporibus: & liberat eam à peccato & æterna morte, & sanctificat eam dato Spiritu sancto, ut sit æterna ipsius hæreditas: & mirabiliter eam defendit, & regit in hac vita, ut verè inuocet & agnoscat exaudiri preces, ac celebret Deum, & resuscitat ex morte ad vitam et gloriam æternam. Hæc descriptio sumitur ex definitione regni Christi, & alludit ad officia regum, quæ sunt: liberare subditos ex potestate hostium, regere populum certis legibus, & defendere bonos à malorum iniurijs.

FILIVS VNICVS. Hæc appellatio describit naturam diuinam Christi. Ideo

Ideo autem vocatur Filius, quia ab æterno genitus est de essentia æterni Patris. Unicus (*Idem est quod unigenitus, Iohan. 1. & 3. & proprius Rom. 8.*) discernit Filium Dei ab electis, qui sunt Filij Dei adoptione. *Vt Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Christus enim natura est filius. Nos gratia.*

DOMINVM NOSTRVM:
 Monet hæc appellatio de applicatione beneficiorum Christi. Est enim Christus Dominus noster.

I. Iure Creationis. *Quia per ipsum sumus conditi ad imaginem Dei.*

II. Iure Redemptionis. *Quia cum nos in peccatis nascamur, propter naturæ nostræ corruptionem, quæ lapsum Adæ secuta est, ipse se dedit precium redemptionis pro nobis, & nos à maledictione Legis, ira Dei, peccato, morte, & regno Diaboli, precioso sanguine suo redemit, ut simus peculium ipsius.*

III. Ratione defensionis & glorificationis, *Quia exaltatus ad dexteram Patris,*
perpe-

perpetuò colligit sibi Ecclesiam, gubernat, defendit, & glorificat in tota aeternitate.

Quid profitemur in Symbolo de Incarnatione Christi?

Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

Cur Mediatorem congruebat Deum & hominem esse?

PRIMA causa est, Quia genus humanum peccauerat, congruebat ordini iusticiæ, ut aliquis in genere humano pœnam solueret, quæ esset precium pro peccatis, Ideo Filius intercessor assumpsit humanam naturam.

SECUNDA causa, Nulla creata potentia sola potuisset sustinere iram Dei, & in tanta magnitudine dolorum, Deo verè tribuere laudem iusticiæ. Necesse est autem in pœna, quæ debet esse placatio, punienti tribui laudem iusticiæ. Est ergo Mediator etiam Deus.

TERTIA causa, Peccati infinita maliciæ est. Ut igitur esset precium infinitæ bonitatis & æquiualens, etiam ideo Mediator est.

QUARTA, Creatura non est uiuificatrix, Sed ut Iohan. 1. scriptum est: In ipso erat ui-

Hæc uerba
arrosa à le-
nentibus,

ta

ta. Ideo hic Redemptor Deus est, ut vincat mortem, & restituat vitam. Nam ut initio in creatione $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$, fuit viuificator: Ita & nunc credentes ei inserti, rursus per eum viuificantur.

QVINTA, Hic Mediator assidue interpellat pro Ecclesia, & semper & ubique adest Ecclesie, eamque seruat & protegit. Quae beneficia etsi sunt à Filio in natura assumpta, & toti personae tribuuntur, tamen sunt actiones diuinae naturae & omnipotentis.

Vbi describitur historia Conceptionis & Natiuitatis Christi?

De Conceptione inquit Angelus ad Mariam Luc. 1. Spiritus sanctus ueniet super te, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi. Et ad Ioseph: Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Natiuitatis historia describitur Luc. 2. Cum Ioseph & Maria esset in Bethlehem, impleti sunt dies eius, ut pareret, & peperit filium suum primogenitum: De quo Angeli annunciant: Ecce, Euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni

extant expressè in Enarratione Epistolae ad Romanos cap. 3 Tomo operum Philippi 4. pag. 88.

Hæc clausula de distinctis proprietatibus et actionibus naturarum in Christo, arrosa à Chemnicio & Theologis in ducatu Luneburg. extat in Enarratione Epistolae ad Romanos cap. 3. Tomo operum Philippi 4. pagina 88. Item 327. 354. 576, 591. & alibi passim. In primis uerò in Enarratione Symboli Niceni.

Tom. 2. o-
perum Phi
lippi 223.
318. 323.

omni populo, Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus, in ciuitate David, & hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis obuolutum, & positum in præsepio.

*Quare de Spiritu sancto conceptus
& ex virgine natus est?*

Angelus causam exprimit Luc, 1. quod ex te nascetur *SANCTVM*, vocabitur Filius Dei. Ideo enim de Spiritu sancto, sine virili semine, de pura & immaculata virgine natus est Filius Dei, vt sciamus hominem factum esse sine peccato, quod cæteri homines nati ex carnali propagatione secum in hanc lucem afferunt.

*Cur sit mentio expressa Marie
matris Christi?*

Non solùm propter certitudinem historiæ, sed etiam quia prædictum erat, Messiam nasciturum esse ex stirpe David, ex qua Mariam ortam fuisse certum est.

Quid

*Quid profitemur in Symbolo de maximè
conspicuo actu humiliationis Filij
Dei in passione?*

Passus sub Pontio Pilato, Crucifi-
xus, Mortuus, & sepultus.

Quid vocas passionem?

PASSIO Christi est obedientia
admiranda & inenarrabilis, quam Chris-
tus Dominus noster sciens, volens, libens-
que præstitit in tolerandis animæ &
corporis acerbissimis cruciatibus, ut ius-
titiæ diuinæ hac vera reuerentia & sub-
iectione æquiualens precium pro peccatis
totius generis humani persolueretur,
& Pater placatus hoc sacrificio reciperet
confugientes ad ipsum fiducia huius me-
diatoris & victimæ, & liberatis à male-
dictione Legis, à Tyrannide Diaboli, &
à morte æterna gratis donaret, propter
Filij meritum & intercessionem, iustici-
am & vitam æternam.

F

Quos

*Quotuplex est meditatio passionis
Christi?*

*Triples. Pædagogica, Spiritualis, Exempla-
ris seu Paradigmatica.*

*PÆDAGOGICA MEDITATIO est
sæpe legere narrationes, quæ apud quatuor Euan-
gelistas extant de historia passionis Christi, Easq;
conferre cum vaticinijs Prophetarum, ut hæc col-
latio historię & prædictionum confirmet in ani-
mis assensum, quo hunc articulum amplectimur.*

*Pueris in primis nota sit prima promissio,
Gene. 3.*

*Psalmus 22. Esaia cap. 53. & Danielis
cap. 9.*

*SPIRITUALIS MEDITATIO est,
cogitare causas passionis Christi, magnitudinem
peccati & iræ Dei aduersus peccata generis hu-
mani: Temperamentum misericordiæ & iusticiæ
in Deo. Amorem filij Dei, & illam inenarrabilem
humilitatem filij. Et in tantarum rerum cogitatio-
ne exuscitare timorem Dei & fidem.*

*EXEMPLARIS MEDITATIO est,
imitari humilitatem & patientiam Christi, & con-
siderare imagines pingentes statum Ecclesiæ, quans
Deus*

Deus vult fieri conformem imaginis Filij sui.
Roma. 7.

Cur fit mentio Pilati?

Pilatus fuit Præses Iudææ, sub Imperatore Tyberio. Huius mentio fit in Symbolo propter circumstantiam temporis, quæ monet nos de Messia exhibitto, iuxta vaticinium Patriarchæ Iacob: Non auferetur Sceptrum de Iuda, neque Magister de pedibus eius, donec veneris Siloh.

Quale genus supplicij fuit Crucifixio?

Crucifixio fuit supplicium Iudaicum, quam postea à Iudæis acceptam, ut videtur, usurparunt Orientales populi, sed aliter Iudæi, aliter gentes hac usi sunt. Iudæi non solebant vivos homines in crucem tollere: sed lapidatione interfectos, quorum postea cadauera cruci alligabant, non clavis per manus et pedes adactis affigebant.

Gentes verò et vivos crucis supplicio afficiebant, et clavis affigebant, non alligabant.

Ad hæc discrimina administrati supplicij huius inter Iudæos et Gentes alias accessisse videtur

detur & fractio crurum in mortuis, cuius meminit historia Evangelica, quod & ipsum apparet fuisse moris Ethnici. Modus igitur crucifixionis, quam Christus pertulit, non fuit Iudaicus, sed externus. Nam illo tempore iudicia capitalia non habebant amplius Iudæi, sicut ipsi de se proclamant, Non licet nobis interficere quenquam. Quare Christus traditus à Iudæis Ethnico præfidi, non Iudaico, externo etiam & Ethnico modo crucifixus est, quem tunc ibi gentes in hoc supplicio seruabant. Scribitur autem & hoc, contra blasphemos & idolatras, à Iudæis crucifixionem usurpatam, ut hac de causa Christum etiam crucifigi postularent quem & summus Pontifex blasphemie damnauerat: & cui alterum quoque crimen læsæ dignitatis & quasi maiestatis sacerdotalis intentabant, quòd contra templum & iudices Israël locutus esset.

Tales autem tribus tantum festis ijs, quibus populus omnis conueniebat, tollere publicè supplicio solebant, ex eo quod scribitur, Deut. 17. Tollendos tales, ut omnis populus audiat & c. Ideo Christi etiam supplicium, ut ad Paschatis tempus fieret, laborarunt. Hæc adultioribus prodesse fortè poterunt, & ut considerentur, necessaria sunt. Quia ex Iudæis impijs, incogitantiores aliqui, contra historiam Evangelicam negant Christum uiuum crucifixum, sed tanquam blasphemum

munus

*num more gentis Iudaica lapidatione interfe-
ctum. Id quod omnino etiam de Christo fecissent
Iudaei, si penes ipsos tunc fuissent supplicia capi-
talia. Non igitur meminerunt, eo tempore hæc ipsis
erepta esse, cuius non tantum ex Evangelica his-
toria, sed ipsorum etiam popularium scriptis con-
vinci possunt.*

*Cur hoc abominabili genere supplicij De-
us voluit interfici Filium, ut tol-
leretur in crucem?*

Paulus Galat. 3. causam exponit,
inquiens: Christus nos redemit de ma-
ledicto Legis, factus pro nobis male-
dictum. Quia scriptum est, Maledi-
ctus omnis, qui pendet in ligno. Typus
autem crucifixionis Christi fuit serpens æneus ex-
altatus in deserto. Num. 21. Ioban. 3.

Cur mori oportuit Christum?

Roma. 4. inquit Paulus: Christus
mortuus est propter peccata nostra. Et
Oseæ 13. O mors ero mors tua, Vnde
versus in Scholis factus est: Mors
mortis mortem mors morte rede-

F 3 mit.

mit. Typi mortis Christi fuerunt mastationes
victimarum, quæ occisæ offerebantur in sacrificiis.

Cur sepultus est Christus?

SEPELIRI Christus voluit, ut certum esset testimonium, quod verè fuerit mortuus, & ut vna secum peccata nostra sepeliret: & nostra sepulchra sanctissimi corporis sui contactu consecraret.

*Quomodo intelligis Articulum de
Descensu Christi ad inferos?*

Simpliciter & sine allegoria intelligendus est hic articulus: sicut Paulus ad Ephe. 4. interpretatur: Descendit ad inferiores partes terræ. Fatemur autem hoc articulo destructam esse Tyrannidem Diaboli & inferorum, hoc est liberatos omnes, qui credunt in Christum, à potentia Diaboli & inferis, ut Osee 13. Ero pestis tua inferne. Et hanc victoriam certo modo Filius Dei Diabolo ostendit. Nec dubium est Diabolo sensitse suam potentiam ab hoc victore fractam esse: & verè caput serpentis à
semi-

semine mulieris contritum esse. Est igitur simplicissima sententia, Quòd Christus ostenderit suam victoriam Diabolis, & eos terruerit. Sed quomodo hoc sit factum, non scrutemur. Cyprianus scribit in Ecclesie Romanæ Symbolo, & in aliquibus Orientis Ecclesijs non fuisse hunc articulum additum.

Dic testimonium de Resurrectione Christi?

Psal. 16. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Mat. 12. Sicut Ionas fuit triduum in ventre Ceti; Ita oportet Filium hominis tribus diebus ac tribus noctibus esse in corde terræ. Historia resurrectionis describitur ab Euangelistis. De fructu inquit Paulus Rom. 4. Resuscitatus est propter iustitiam nostram. Et 1. Corinth. 15. Si Christus resurrexit, etiam nos resurgemus. Roma. 6. Resurrexit, ut & nos in nouitate vitæ ambulemus.

F 4

Quare

Quare dicimus in Symbolo, Resurrexit tertia die?

Quia die Parasceues deponitur à cruce, & sepelitur, paucis horis ante Sabbati initium. Iudæi enim diem à vespera inchoant, Toto autem Sabbato quiescit in sepulchro. Et die prima Sabbatorum, quæ nobis est dies Dominica, circa auroram resurgit ex mortuis.

Non passiva
et activa
et
simul in nomine
Vbi extat confirmatio Articuli de ascensione Christi ad cælos?

Passiva interpretatio huius dicti extat etiam apud Nazianzenum orat. 2. de filio, & apud Oecumenium pag. 19. & 20.

Actorum primo describitur historia ascensionis. Videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum: Et Acto. 3. Oportet Christum cælo capi, vsq; ad tempora restitutionis omnium. Vel, vt reuerendi Patris D. Lutheri versio Latina habet: Oportet Christum cælo suscipi, Quod in Græco est:

Quomodo
et
in
non
possit
aut
affixum
teneri
ut
quo
suo
verbo
se
alligauit
aut
vbi
velit
esse
non
possit
ὅπου δ' εἰ οὐρανὸν μὴ δ' ἔξασθ' ἄξι γόνωρ, ἀποκαταστασάσθω πάντων. Ne quis suspicetur, cælo cæli loco Christum tanq; captiuum aut affixum teneri, vt quo suo verbo se alligauit, aut vbi velit, esse non possit.

Intelligatur
autem
Ascensio
vt
sonat
litera
et
de
solentia
non
comitari
sed
possideri
et
teneri
Intelligatur autem Ascensio, vt sonat litera, et de solentia non comitari, sed possideri, et teneri.

*de corpore & de corporali locatione. ASCEN-
SIO fuit visibilis & corporalis, & semper ita scri-
psit tota antiquitas, Christum corporali locatione
in aliquo loco esse, ubicunq; vult, & ascensio cor-
poralis facta est sursum.*

Cur Christus ascendit ad caelos?

*PRIMUM ut refutaret somnia Iudaeorum
de politico regno Messiae. SECUNDO, ut para-
ret nobis aditum ad caelos, quo & nos aliquan-
do traducet, iuxta dictum: Pater, volo ut ubi
ego sum, ibi & illi sint. TERTIO, ut hoc velut
triumpho testificaretur de victoria aduersus re-
gnum peccati & mortis, Coloss. 2. & Psalm. 68.
Pertinet ad fructus ascensionis etiam sequens ar-
ticulus de sessione ad dexteram Dei.*

*Quid est sedere Christum ad dexte-
ram Patris?*

*Simplicissimè intelligatur de exal-
tatione Christi ad regnum & Sacerdo-
tium, sicut concionatur totus Psal: 110.
Dixit Dominus Domino meo, sede à
dextris meis &c. Monet enim hic articulus
de gloria Christi superante omnium creaturarum
gloriam. Beati angeli & homines etiam in caelo
sunt, quia fruuntur luce & conspectu Dei visibi-
li. Sed Christus exaltatus est in illa arcana luce re-*

F 5

gnans

Hæc expli-
catio arro-
sa à Sebati-
ano Boerio,
in Salinis
Saxonis,
Chemns-
cio, Selne-
cero, lenen-
sib. & The-
ologis in
ducatu Lu-
neburgensi
extat in
Commen-
tatio Phi-
lippi in E-
pist ad Co-
loss. Tom.
4. op. folio
358.

Quod articulus de se- gnans cum Patre, & est caput Ecclesie, omnia in-
fione ad omnibus perficiens, & quanquam manet dis-
dexteram crimen naturarum in Christo, nec confunduntur
Dei, simul proprietates; tamen etiam humana natura Christi
comprehen post glorificationem accepit dona seu ornamenta,
dat glori. seu prerogativas, quae superant omnium creatu-
ficationem rarum dona.
naturae hu-
manae in

Christo, In
qua accepit
dona tupe-
rantia om-
nium Crea-
turarum
dona, arro-
sum a The-
ologis in
Ducatu Lu-
neburgensi
extat in re-
futatione
Schuuenck-
feldij. Tom.
2. op. Phi-
lip. 203. &
in enarratio-
ne Epist ad
Coloss To-
mo 4. Ope.
Phil 358.

*Dic Testimonia de reditu Christi ad
iudicium vniuersale?*

Act. 1. inquit Angeli, Hic Ie-
sus, qui sursum receptus est a vobis in
coelum, ita veniet, quemadmodum con-
spexistis eum euntem in coelum. Et Mat.
25. non solum aduentus Christi, sed etiam
processus seu forma iudicij copiose
describitur,

*Quae opera efficiet Christus, cum in fine
mundi rediturus est?*

PRIMUM voce sua resuscitabit omnes
homines, quotquot ab initio mundi mortui sunt,
& animas ipsorum copulabit denuo cum resusci-
tatis corporibus. Eos vero, quos viuentes adhuc
in terra reperiet, in momento immutatos, una
cum excitatis e morte, in occursum sibi rapiet.

DEINDE visibile & vniuersale iudicium
exercebit, in quo bonos discernet a malis, & pro-
nunciat

nunciabit sententiam super pios & impios. Nam Pater omne iudicium dedit Filio, Ioh. 5. **PRÆTEREA** pios introducet in possessionem æternæ beatitudinis, quam in hac vita fide & spe expectarunt. **SIMVL** etiam impios abijciet cum damnatis spiritibus in æternos cruciatus, ubi ignis eorum non extinguetur, vermis non morietur, opprobrium non desinet. Esa. vlt. **DENIQVE** igne purgabit cælum & terram, & nouam mundi formam efficiet, quæ erit sancta & munda habitatio omnium beatorum angelorum & hominum. 2. Pet. 3.

RECITA TERTIVM

ARTICVLVM.



Cres

¶ *Filium personas distinctas esse. Quare & nomine Spiritus sancti, persona distincta significatur. De processione Spiritus sancti inquit Christus Iohan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mit-
tam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Pa-
tre procedit.*

*Quæ sunt beneficia Spiritus
sancti ?*

Beneficia ostendit appellatio. Vocatur enim Sanctus non solum, quia ipse sanctus est, sed quia credentes sanctificat, hoc est, lucem in eis accendit ad intelligendam doctrinam, & assensionem confirmat, & efficit motus congruentes Deo, & excitat inuocationem, & lætiti-
am in Deo acquiescentem: Zach. 12.
vocatur Spiritus gratiæ & precum.

*Cur dicimus in Symbolo: Credo in Spiritum
sanctum, & non dicimus, Credo in
sanctam Ecclesiam ?*

Soli Deo tribuendus est cultus fidei, iuxta Prophetæ dictum: Maledictus, qui ponit carnem brachium suum.
Cum

Cum ergo testamur nos in Spiritum sanctum credere, agnoscimus & confitemur eum esse verum Deum, Sed omititur præpositio, cum recitamus professionem de Ecclesia: Quia fides non nititur Ecclesia, sed Deo. In Symbolo Constantinopolitano verba hoc modo recitantur: Et in Spiritum sanctum, Dominum vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. **IN** unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, Sed ibi præposito **IN**, non ad verbum credo, sed ad Spiritum sanctum refertur, videlicet, quod is locutus sit per Prophetas, in unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Significatur enim unum eundemque Spiritum omnia egisse in veteri & nouo Testamento: contra eos, qui confinxerunt duos sibi quasi contrarios Spiritus. Significatur etiam Ecclesiam non esse unius temporis, sed omnium ætatum inde usque ab initio mundi propter unum eundemque Spiritum.

Quid est Ecclesia?

ECCLESIA VISIBILIS

in hac vita est cœtus visibilis amplectentium Evangelium, & recte utentium Sacra-

cra-

cramentis, in quo coetu Filius Dei est efficacax, & voce Euangelij & Spiritu sancto multos regenerat ad vitam æternam, suntq; in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

Quæ sunt signa monstrantia veram Ecclesiam?

Tria sunt: *I. CONSENSVS* in doctrina Euangelij incorrupta, quod ad fundamentum attinet. *II. LEGITIMVS VSVS* Sacramentorum, *III. OBEDIENTIA*, ministerio debita iuxta Euangelium.

Cur Ecclesia dicitur sancta?

ECCLESIA vocatur sancta in hac vita per Synecdochen. Quia multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto & electa. Fit autem à principali nuncupatio, et membra sanctificata usitate nominantur vniuersa membra Ecclesie. Alij non sancti vocantur mortua membra, si tamen de doctrina consentiant.

Quo.

*Quomodo est Ecclesia sancta, cum in hac
vita in omnibus sit peccatum, &
sordes multiplices?*

VIVA MEMBRA Ecclesiae sunt
sancti in hac vita, partim imputatione,
partim inchoatione. *IMPUTATIONE*,
quia propter Mediatorem teguntur in eis sordes,
& imputatur eis iustitia Christi, quam fide acci-
piunt. *INCHOATIONE* vero, quia inchoatur in
eis per Spiritum sanctum novitas Spiritualis, quae
consummata erit in altera vita.

Quid significat vox Catholica?

καθολικὸν idem est, quod uniuersale.
Ideo autem Ecclesia sic vocatur, quia
non est alligata ad personas, loca & ordi-
nariam successionem Episcoporum, sed
est vbicunq; sonat vox Euangelij. De-
inde quia omnibus aetatibus mundi col-
ligitur ex genere humano. Postremo,
quia amplectitur totum corpus doctri-
nae Propheticae & Apostolicae.

*Quid significant haec verba: Credo san-
ctorum communionem?*

Haec

Hæc verba sunt expositio seu interpretatio prioris Articuli. Sunt enim velut descriptio per Appositionem, ut vocant Grammatici, addita, qua declaratur, quid sit Ecclesia. Nempe ἀγιων κοινωια, id est, cœtus talis, in quo sancti, hoc est, abluti sanguine Filij Dei (Ephe. 5.) & sanctificati per Spiritum sanctum, quocunq; loco & tempore vixerint, societatem seu communionem inter se habent, non modo eiusdem doctrinae, sed etiam omnium beneficiorum spiritualium, cum sint membra unius corporis, & unum caput habeant Christum, qui per Spiritum suum in eis est efficax. Ita Iohannes inquit: Quod vidimus & audiimus, annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas vestra sit cum Patre et Filio eius Iesu Christo. Et Paulus Ephe. 4. Unum corpus, unus Spiritus, sicut & vocati estis in una spe. Apud Cyprianum & Augustinum hic Articulus non habetur, neq; ab eis exponitur.

Explica pondera vocabulorum in Articulo: Credo remissionem peccatorum.

TRIMUM, testificatio est de fide, qua unusquisq; firmiter statuere debet, quod sibi in hac

G

vita

vita credenti certò detur remissio peccatorum,
contra dubitationem Pontificiam.

DEINDE, cùm peccata nominantur plurali numero, confirmatio est dulcissimæ consolationis, Quòd omne peccatum remittatur, videlicet agenti pœnitentiam & fide amplectenti promissionem gratiæ, certò ratam propter Filium Dei.

TERTIO, vox remittendi docet non tantùm donari culpam, sed etiam pœnam æternam. Nam remittere est liberare à culpa & pœna æterna: & hæc relatio præcipuè comprehenditur in vocabulo remissionis, videlicet solutio obligationis ad æternam mortem & damnationem, & debitæ pœnæ condonatio.

QUARTO, Quia Symboli recitatio fit quotidie, intelligatur remissio peccatorum de continua remissione, etiam postquam renati sumus, & sciant etiam renati semper in hac vita manere reliquias peccati, quarum remissio à Deo petenda est.

*Differunt ne remissio peccatorum
& iustificatio?*

Non differunt. Ideo iustificatio definitur, quòd sit remissio peccatorum,
recon-

reconciliatio cum Deo, imputatio iustitiæ, & acceptatio ad vitam æternam.

Quomodo accipitur Remissio peccatorum seu iustificatio?

Homo in conuersione seu in veris doloribus accipit remissionem peccatorum propter Mediatorem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & hominem *GRATIS*, sola fide, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes proprias, aut propria opera seu merita.

*Dic testimonium de hoc
Articulo.*

Acto. 10. Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum, Rom. 3. Iustificamur gratis gratia ipsius, per redemptionem, quæ facta est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem in sanguine eius, per Fidem.

G 2

Quo 1

*Quomodo intelligenda est hæc Propositio:
Fide sumus iusti, aut: Fide accipi-
mus remissionem pecca-
torum?*

Propositio hæc: Fide sumus iusti: intelligitur correlatiue, videlicet per misericordiam sumus iusti propter Filium Dei. Ideo autem fit mentio fidei, Quia fide oportet accipi beneficium gratuitum. *Vsitatè sic dicitur, Non propter nostrum credere, sed propter eum, in quem credimus, iustificamur. Item: Vt annulus magni estimatur propter gemmam: sic fides iustificat, non quia qualitas est in nobis, sed quia Mediatorem apprehendit.*

*Cur retinenda est particula exclusiua
Gratis? Item, Sola fide
iustificamur?*

Quatuor sunt causæ, propter quas necesse est retineri exclusiuam.

PRIMA est, vt tribuatur honos debitus Filio Dei, quod hæc sola hostia sit precium pro nobis, iuxta dictum: Hic est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi,

Sez

SECUNDA est, vt conscientiaē habeant firmam consolationem, iuxta dictum Roma. 4. Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio.

TERCIA causa est, vt inuocatio fieri possit, quæ impeditur conspectu nostræ infirmitatis, nisi erigamur fiducia Mediatoris.

QUARTA est, vt conspiciatur discrimen Legis & Euangelij: Quia particula gratis, fide, & expressa mentio Mediatoris præcipuè discernunt Legem & Euangelium.

Quid est mortuorum Resurrectio?

RESURRECTIO mortuorum vniuersalis est actio Dei externa, qua Deus pro sua immensa potentia, et iuxta liberrimū decretum voluntatis suæ, omnium hominum corpora ab hac vicissitudine generationum et corruptionum vindicabit, & rursus cum animis copulabit, vt ad omnem æternitatem, aut pœnas scelerum vna cum Diabolis persoluant, aut communicatione lucis, sapientiæ, iusticiæ & vitæ diuinæ fruantur.

Cur expresse dicitur: Credo resurrectionem CARNIS?

Quia sicut corpus mortificatur propter peccatum, Anima non moritur: Sic corpora quidem resuscitabuntur, Animæ verò resurrectione non habent opus, cum maneat superstites, postquam discedunt ex corporibus: Ac in nouissimo die rursus copulabuntur cum resuscitatis corporibus.

Cyprianus scribit in aliquot Orientis Ecclesijs articulum de resurrectione carnis δεικτικῶς fuisse pronunciatum: Credo HVIVS carnis resurrectionem. Sicut & Paulus δεικτικῶς loquitur. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem.

*Dic testimonium de hoc
Articulo.*

Nota sit pueris historia visionis Ezechielis capite 37. Et concio Pauli 1. Corinth. 15. & 1. Thess. 4. vbi sedes & præcipua confirmatio est huius articuli.

Quoz

Quotuplex est Resurrectio?

Iohan. 5. inquit Christus: Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: Qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Hæc asseueratio Filij Dei discernit resurrectionem piorum à resurrectione damnatorum. Quia etsi immortalitas utrisq; communis erit: tamen finis, ad quem utriq; resuscitabuntur, ingens discrimen facit. Nam vita æterna erit portus, in quo boni acquiescent. Supplicium æternum erit stipendium peccati regnantis, quod non tegitur umbraculo Filij Dei.

Quid nominatur vita æterna?

VITA ÆTERNA vocatur status beatorum, post hanc vitam, in qua Deus illos in vniuersum liberatos à peccato, & morte coràm perfundet sua luce & sapientia, & implebit sua iusticia & læticia, & in tota æternitate omnia erit in omnibus.

G 4

Huic

Huic opponitur mors æterna, quæ est perpetua abiectio omnium damnatorum à Deo, & animæ ac corporis cruciatus nunquam finiendi.

Dic testimonium de hoc Articulo.

Iohan. 3. Inquit Baptista: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui non obtemperat Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Iohan. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.

*Cur postremo loco recitatur hic
Articulus?*

Vt doceat, quis sit finis omnium bonorum, seu quod sit summum & vltimum bonum, quod præcipuè ab omnibus hominibus expetendum est. DEINDE, ut monstret finalem causam creationis, redemptionis, & sanctificationis nostræ. POSTREMO, ut confirmet nos de immortalitate, quæ discrimen facit inter homines & pecudes: & de fine seu cessatione omnium miseriarum, quibus hæc mortalis vita est obnoxia. Non enim ad hanc vitam mortalem, ut
pecu-

*pecudes, nec ad perpetuas misérias nati sumus, sed
ut immortalitate et beatitudine æterna fruamur,
cuius nemo erit particeps, nisi in hac vita accensa
in eo fuerint initia vitæ æternæ.*

*Quomodo in hac vita inchoatur in
nobis vita æterna?*

VITA ÆTERNA inchoatur
in nobis in hac vita, cum ex verbo pate-
facto agnoscimus Deum, & acquiesci-
mus in eius misericordia promissa pro-
pter Filium, & cum corda sentiunt con-
solationem Spiritus sancti, qua simul ac-
cenditur noua lux, iusticia & læticia,
quæ est gustus vitæ æternæ.

**DE ORATIONE
DOMINICA, QUÆ
EST TERTIVM CA-
put Catecheseos Chri-
stianæ.**

Quid continet Oratio Dominica?

Continet optimam & perfectissimam formam precandi, præscriptam à

G 5

Filio

Filio Dei Domino nostro Iesu Christo,
 qua & breuitate admirabili, & ordine sa-
 pientissimo complexus est omnes res,
 quas à Deo petere debemus.

*Quod est discrimen verae inuocationis in
 Ecclesia, & aliarum impiarum
 inuocationum?*

Dux sunt præcipuæ differentia. Altera de *ESSENTIA DEI*, Altera de *VOLUNTATE*. Primum enim Ethnici & alij impij negant hunc esse Deum, qui est æternus Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Deinde ignorant promissiones & Mediatorem. Ecclesia verò alloquitur verum Deum patefactum illustribus testimonijs, & agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, & agnoscit Mediatorem, & scit Deum velle inuocari & exaudire fiducia Mediatoris: sicut ipse Dominus inquit: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Quæ

Quae requiruntur ad veram inuocacionem?

In omni inuocatione necessaria est praecipue sex rerum consideratio.

I. Cogitandum est, *QUID & QUEM DEVM*, & vbi patefactum inuoces. *Iohan. 4. Nos adoramus quod scimus.*

II. Considerandum est praecipuum de Inuocatione, vt *Pfalm. 50. Inuoca me in die tribulationis.*

III. Singuli cogitent, an vere sint conuersi ad Deum. Nam sine conuersione precatio non est efficax, *Iohan. 9. Peccatores Deus non exaudit.*

IIII. Cogitandae sunt promissiones de exauditione. *Matth. 7. Petite, & dabitur vobis, Luc. 11. Quanto magis Pater vester dabit Spiritum sanctum peccentibus?*

V. Excitanda est Fides, quae in promissionem intuens, certo statuat nos exaudiri propter Mediatorem.

Sexta consideratio est rerum petendarum, ne Oratio inanis βατηλογία sit.

Quod

*Quod est discrimen in petitione bonorum
corporalium & spiritualium?*

Cūm petimus *BENEFICIA
SPIRITUALIA*, vt remissionem
peccatorum, reconciliationem, vitam
æternam, gubernationem animæ, fides
simpliciter, & sine vlla conditione expe-
ctet hæc bona: Quia Deus nominatim
promisit, se hæc daturum esse. Cūm ve-
rò petimus *BENEFICIA CORPO-
RALIA*, vt victum, defensionem, libe-
rationem in morbo &c. In his fides cer-
tò statuat preces nostras placere Deo, &
exaudiri, sed cum inuocatione simul ad-
ferat voluntatem paratam ad obediend-
um in afflictione, si Deo ita videatur,
Quia Deus vult Ecclesiam in hac vita
exerceri cruce et afflictionibus, & tamen
seruat eam mirabiliter. *Ideo sancti petunt à
Deo beneficia corporalia, cum conditione, vt Le-
prosus Matth. 8. Domine, si vis, potes me mun-
dare. David. 2. Reg. 15. Si volet Dominus, re-
ducet me. Si dixerit, non places, præsto sum. Nec
affert hæc conditio dubitationem: Quia vniuersa-
liter etiam in corporalium rerum petitione Deus
preces*

preces exaudit, & dat aut liberationem aut mitigationem, aut consolationem interiore.

REGVLAE tres de Inuocatione?

I. In petitione quarumcunq; rerum oportet prælucere fidem, quæ accipit promissionem gratiæ.

II. Etiam amissis omnibus bonis corporalibus, & cum vita corporis certò amittenda est: Tamen retinenda est promissio gratiæ & vitæ æternæ.

III. Non est præscribendum Deo tempus aut modus liberationis.

Cur Inuocatio saepe multumq; est exercenda?

Primum propter gloriam Dei: II. Propter nostram & Ecclesiæ salutem. III. Propter eruditionem & sapientiam spirituales augendam. IIII. Propter consolationem. V. Ut Diabolis hanc Gorgonem obijciamus. VI. Ut precatio sit confessio discernens Ecclesiam ab alijs Sectis.

RECITA FORMAM
Precationis Dominica.

Pater



Pater noster, qui es in coelis,
 Sanctificetur nomen tuum: Ad-
 ueniat regnum tuum: Fiat uolun-
 tas tua, sicut in caelo, sic & in terra.
 Panem nostrum quotidianum
 da nobis hodie. Et remitte nobis
 debita nostra, sicut & nos remittis
 mus debitoribus nostris. Et ne
 nos inducas in tentationem. Sed
 libera nos à malo. Quia tuum est
 regnum, & potentia, & gloria, in
 secula seculorum, Amen.

Quis

*Quis est ordo seu dispositio Oratio-
nis Dominicae?*

Constat Oratio Dominica Exor-
dio, Narratione & Epilogo.

Quid continet Exordium?

Exordium discernit Deum à com-
mentitijs numinibus, qualia sunt idola
Epicuri & Stoicorum. Tribuit enim
Deo & voluntatem & facultatem nos
exaudiendi.

Quid continet Narratio?

Narratio petit à Deo *GRATIAS*,
vt Veteres loquuntur, *POSITIVAS*
& *PRIVATIVAS*, id est. donationem
donorum, & liberationem à malis.

Quae sunt Gratiae positivae?

Duplices sunt *POSITIVAE* gra-
tiae, aliae Spirituales, aliae Corporales.
SPIRITVALES sunt tres, I. Vera
agnitio Dei, id est, Sanctificatio nomi-
nis diuini. II. Consolatio & gubernatio
Spiritus sancti, quae vocatur regnum
Dei. III. Obedientia nostra congruens
cum voluntate Dei.

Gra

GRATIA POSITIVA CORPORALIS significatur appellatione panis quotidiani.

Quae sunt gratie privativae?

PRIVATIVAE gratiae sunt tres. I. Remissio peccatorum. II. Depulsio Tyrannidis, Diaboli & mundi, Imò & carnis nostrae. III. Liberatio, id est, mitigatio calamitatum in hac vita, & integra liberatio.

Quid continet Epilogus?

Epilogus recitat impulsivas & finales causas, propter quas petimus nos exaudiri. Impulsivæ causæ sunt, Quia tuum est regnum & tua potentia.

Finalis causa significatur appellatione gloriae Dei.

Tandem additur Epiphonema plenum fidei, *AMEN*, quod significat certò statuendum esse, nos propter Mediatorem exauditos esse.

Explica pondera verborum in exordio:

Paternoster, qui es in calis.

Pater

PATER hoc loco est essentiae nomen, non tantum unius Personae. Nam omnis invocatio vera, quae fit ad Deum, semper intelligatur completi Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

DEINDE appellatio Patris monet nos de fide & de promissionibus.

POSTREMO admonet nos de magnitudine amoris Dei erga nos. Sicut enim Pater miseretur filiorum: sic Dominus miseretur timentium se, Psalm. 103.

NOSTER. Hoc pronomine rursus nos monet de fide, qua singuli statuere debent, sibi quoque Deum esse Patrem.

Deinde eadem vox est commonefactio de fraterna dilectione: & quod precatio sit commune bonum Ecclesiae.

QUI ES IN COELIS, Haec particula est asseueratio de Omnipotentia Dei.

Necesse est enim statuere, Deum non modo velle, sed etiam posse nos iuuare, neque vel negligere nos, vel esse alligatum ordini causarum secundarum.

H

R E.

REGVLÆ de interpretatione quatuor priorum petitionum?

I. Quatuor priores petitiones intelligendæ sunt relatiuè. Quia etsi nomen Dei per se sanctum est, & regnum ipsius, & voluntas perficitur etiam sine nostra precatone: Tamen nostrum est petere, ut nos quoq; simus sacerdotes celebrantes Deum, & ciues regni Dei, & ministri facientes grata Deo. Sic etsi bona corporalia etiam impijs suppeditantur, tamen petendum est, ut nos agnoscamus panem quotidianum Dei donum esse.

II. Singulis petitionibus addenda est Antithesis, qua petamus, non solum dari nobis bona spiritalia, sed etiam mala his opposita depelli ac remoueri, ut D. Lutherus dicere solebat: non possum precari, quin simul oporteat imprecari.

EXPLICA VERBA PRIMÆ
Petitionis.

Sanctificetur nomen tuum.

NOMEN Dei significat noticiam & celebrationem Dei. **SANCTIFICARE** significat sacrosanctum habere, summa cum veneratione colere. Includit
autem

autem respectum ad doctrinam seu verbum Dei, quod docet, quomodo & agnoscere & coli Deus velit.

In pronomine *T V V M* singularis Emphasis est, Quia monet nos de gloria Dei anteferenda non solum nostrae gloriae, sed omnibus etiam rebus humanis.

Quae est sententia Primae Petitionis?

Petimus veram Dei agnitionem iuxta verbum, quod ipse nobis tradidit iuxta Christi dictum: *Sanctifica eos Pater in veritate. Sermo tuus est veritas.* Deinde petimus tolli prophanationem nominis Dei, hoc est, caliginem non agnoscentem Deum, contemptum Epicureum Dei, corruptelas doctrinae, errores, idolatriam, blasphemias, sectas, scandala.

EXPLICA VERBA SE-
cundae Petitionis.

Adueniat regnum tuum.

REGNUM Dei in hac vita est iustitia, Pax & gaudium in Spiritu sancto.

Ro. 14. ADVENIRE est per continua-

H 2 OS

os progressus augeri: donec tandem in altera vita integra fiat consummatio.

Qua est sententia Secunda Petitionis?

Quando ipsum verbum sicut
expressum est, dicitur, et cum non ad
opini.

Petimus effectum verbi Dei, videlicet gubernationem & consolationem Spiritus sancti: & destructionem regni Satanæ. Denique consummationem Ecclesie in vniuersali resurrectione.

EXPLICA TERTIAM

Petitionem.

Fiat uoluntas tua sicut in cœlo, sic & in terra.

Vetus Latina lingua uoluntatem intelligit actionem, seu ipsum uelle: Ita hic VOLUNTAS DEI significat ipsum uelle Dei, seu hoc quod uult Deus.

Collatio addita: *SICUT IN COELO, SIC ET IN TERRA:* monet nos de exemplo sanctorum Angelorum, qui in cœlo & seruiunt Deo magna cum læticia, & sunt Spiritus casti, humis

humiles, veraces & conformes voluntati seu Legi diuinæ.

Quæ est sententia Tertia Petitionis?

Petimus vt Deus nos flectat ad obedientiam congruentem cum ipsius voluntate: in vocatione: in priuatis moribus, & in ærumnis: Deinde vt impediatur omnes actiones publicas & priuatas, res pugnantes voluntati diuinæ.

Quomodo fit voluntas Dei?

Voluntas Dei primùm fit in singulis vocationibus, quando fideliter administrantur mandata officia, iuxta dictum Pauli: Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis. Deinde fit in vita priuata, cum vnusquisq; suos mores regit piè erga Deum, castè erga seipsum, iustè erga alios. Sicut Paulus inquit ad Titum 2. Ambulemus in hoc seculo piè, iustè & castè. Postremo fit in ærumnis, quando iuxta Petri dictum, humiliamus nos sub potenti manu Dei, vt nos exaltet tempore oportuno.

EXPLICA QVARTAM

Petitionem.

H 3

Pa

Panem nostrum quotidianum
da nobis hodie.

Appellatio *PANIS* significat quidquid ad huius corporalis vitę sustentationem pertinet. *Enumeratio repetatur ex Catechismo Reuerendi Doctoris Lutheri. Ideo autem Panem nominamus, ut significetur mediocritas inter nimiam opulentiam, & extremam inopiam.*

NOSTRVM dicimus, ut moneamur de *αυταρκεία*, id est, ut contenti simus eo, quod nobis datur, non inhiemus alienis. *Quia Deus dissimiliter distribuit bona coporalia. Neq; eadem dat omnibus, neq; eodem modo.*

Alterum Epitheton *QVOTIDIANVS*, *ἐπιδαισιος*, significat continuum aliquid, quo per dies singulos indigemus, quamdiu hic viuimus, ab *ἐπιδαισιος*, quod significat diem crastinam seu postridianam.

Voce *HODIE* monemur de breuitate vitę humanę, & de Fide acquiescente in pręsentibus bonis, & verante curam prophanam & Ethnicam de futuris incertis, Quę

*Quæ est ergo sententia Quarta
Petitionis?*

Petimus victum, valetudinem, successum in laboribus, felicem gubernationem, pacem, fecunditatem terræ, felicitatem coniugij & liberorum, et quæcunque sunt vitæ & vocationis nostræ adminicula. Deinde deprecamur ingratitude non agnoscentem hæc dona Dei, aut abutentem ijs: auariciam, curam prophanam, Tentationes & laqueos Diaboli, in quos incidunt, qui volunt ditescere. Item, vt depellantur à nobis famæ, pestis, bella, morbi, noxiæ tempestates, infelicitas politia & Oeconomia.

EXPLICA QUINTAM

Petitionem.

Remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

DEBITA sunt peccata, quibus Deum offendimus, & iram æternam meremur. *Quia vt debita ciuilitè obligant ad solutionem: Ita semper reatus coniunctus est cum peccato, nisi fiat remissio.*

H 4

Pro-

Pronomen *NOSTRA* est vox perpetuæ confessionis omnium sanctorum agnoscentium se pollutos esse vitij & peccatis multiplicibus.

Clausula addita: *SICUT ET NOS REMITTIMVS*, monet nos de dilectione proximi, quæ tegit aliorum infirmitates, & multas iniurias condonat publicæ tranquillitati, Ecclesiæ & Reipublicæ.

Quæ est sententia Quinta Petitionis?

Fatemur omnes nos esse reos & pollutos, & petimus remissionem peccatorum gratis promissam propter Filium Dei, & monemus nos ipsos de nostra poenitentia, & de mutua condonatione offensionum erga alios.

Est ne nostra remissio causa remissionis diuinæ?

Si remissio non esset gratuita, non posset dici remissio, sed potius compensatio. Et si cogitandum esset propter nostram condonationem dari remissio-

missionem, fieret incerta reconciliatio. Quanquam enim conuersi repugnant odijs, tamen aliqua semper cicatrix seu imbecillitas in nobis manet.

EXPLICA SEXTAM

Petitionem,

Ne nos inducas in tentationem.

TENTATIO significat sollicitationem aut impulsione[m] carnis, mundi & Diaboli, ad res quas Deus odit, & quæ nobis perniciem æternam afferunt.

In verbo, *INDUCAS*, phrasis Hebræa est, significans permissionem, Ne inducas, id est, ne sinas nos induci: Potest etiam intelligi secundum regulam: Verba Hebræorum intelligenda sunt, cum effectu. Non inducas in tentationem, id est, ne ita sinas induci, vt opprimamur tentatione.

Quæ est igitur sententia huius Petitionis?

Precamur, vt Deus non sinat nos everti opinionibus & affectibus corruptæ naturæ, aut Diaboli insidijs, aut mi-

H 5

nis

nis atq; illecebris mundi. Sed det nobis
victoriam aduersus carnem, Diabolum
& mundum, per Dominum nostrum
Iesum Christum.

EXPLICA SEPTIMAM

Petitionem.

Sed libera nos à malo.

MALVM intelligatur de malo
pœnæ, id est, de calamitatibus priuatis et
publicis, præsentibus & æternis.

LIBERATIO significat & mi-
grationem, & filialem liberationem,

Quæ est igitur sententia?

Petimus, vt Deus corripiat nos in
iudicio, & non in furore, ne ad nihilum
redigamur, vt ærumnis det leuationem,
ostendat testimonia suæ præsentia in de-
pellendis periculis, & concedat nobis li-
berationem in bona hora, seu migratio-
nem ex hac valle lacrymarum in æterna
tabernacula.

*Explica verba Epilogi: Quia tuum est
regnum, tua potentia, tua
gloria.*

Men-

MENTIO REGNI alludit ad officium regis, qui debet tueri & fouere subditos.

POTENTIA opponitur infirmitati nostræ, & indigentia, & Deum ad commiserationem exuscitat.

GLORIA significat causam finalem, videlicet quia & nos confessione nostra eam celebraturi sumus, & quia Diaboli & hostes Dei blasphemii resutantur cum Deus adest & opitulatur Ecclesie.

Quæ est sententia Epilogi?

Confirmatio est τῶ ἀδελφῶν mouens atque impellens Deum ut nos exaudiat, sumptis argumentis ab honesto, à facili, & à causa finali. Tu vis nobis dona dare, Quia rex noster es, Nos populus tuus, Nos infirmi & miseri, Tu potens es.

Gloria nominis tui agitur, ne quando dicant inter Gentes, ubi nunc est Deus ipsorum? Nos vicissim gratias tibi agemus, & annuntiabimus laudem tuam in seculum seculi.

Cur

Cur additur AMEN?

AMEN Hebræa vox est, significans certitudinem alicuius rei. Opponitur autem hoc Epiphonema dubitationi, quæ disputat an nostri gemitus exaudiantur. Estq; velut obsignatio precum, quæ orans testatur se certa fide & spe pendere à Deo, & sine dubitatione expectare bona salutaris, iuxta promissionem, iuramento Christi confirmatam: *Amen, Amen, Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

DE POENITENTIA ET ABSOLUTIONE, QUÆ EST
Pars Quarta Christianæ
Catecheseos?

Quid est Pœnitentia?

POENITENTIA significat totam conuersionem ad Deum, quæ est expauescere & dolere agnitione iræ Dei aduersus peccata nostra, & rursus erigi fide accipiente remissionem peccatorum
fidus

fiducia Filij Dei, & in hac fide inchoare nouam obedientiam.

Quæ sunt partes Pœnitentiæ?

Tres. **CONTRITIO, FIDES, NOVA OBEDIENTIA.**

Quid est Contritio?

Est verè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata nostra, & dolere quòd Deum offendimus.

Quid est Fides?

FIDES est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc promissioni gratiæ; & est fiducia promissæ misericordiæ, qua cor propter Mediatorem & per eum, liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum, & inuocat eum clamans Abba Pater, & hac vera consolatione acquiescit in Deo per Filium, dato Spiritu sancto.

Quid est noua Obedientia?

NOVA OBEDIENTIA propriissime

Distinctio partium pœnitentiæ, opugnata à Ienensibus, extat in Examine Theologico Corpor. doctrinæ, fol. 773. & alibi passim.

præcipuum est iuxta Pauli definitionem
Militare bonam militiam, retinere fidem
& bonam conscientiam.

*Estne predicatio pœnitentiæ sumenda
ex Lege, vel ex Euangelio?*

PŒNITENTIA ex Lege tantum est
dimidium pœnitentiæ, inquit Lutherus. Quia sine
Euangelij declaratione, nec vera, nec integra est
pœnitentiæ, quæ tantum ex Lege predicatur.

EVANGELIUM verò rectè dicitur præ-
dicatio pœnitentiæ, videlicet servata partium di-
stinctione & cuiusq; partis proprietate.

*Quid igitur de singulis partibus Pœ-
nitentiæ docet Lex, quid Evan-
gelium?*

In Lege proponitur accusatio omnium
peccatorum videlicet, quæ sunt violationes man-
datorum Legis. Inde igitur ordiendæ sunt Con-
ciones pœnitentiæ. Sed dolores, qui oriuntur ex
Lege, tantum servilem timorem efficiunt, Quare
ut Contritio sit salutaris, & excitetur filialis ti-
mor, legis concionem, quæ simpliciter est vox con-
demnationis & maledictionis, temperari necesse
est ex Euangelio, quod proponit spem ventæ pec-
cato-

catoribus & monstrat ideo Deum concludere omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.

De fide Lex nihil dicere potest, ante reuelationem Euangelij, sed hæc pars pœnitentiæ tota est ex Euangelio. Quia Lex de Mediatore, quo fides tantum nititur, sine Euangelio nihil docet. Ideo etiam Lex peccatum illud summum, maximum, ultimum, & nulla satisfactione piandum in tota æternitate, videlicet ignorationem Filij, incredulitatem, contemptum Filij, & desperationem, non arguit, sed hoc peccatum ex solo Euangelio patet & arguitur.

Postremo Lex perpetua norma est nouæ obedientiæ, etiam in renatis ostendens, quæ opera sint faciendæ: Sed in Euangelio tantum monstratur, quomodo fieri bona opera possint in tanta infirmitate naturæ nostræ, in tantis Diaboli insidijs, & in tanta periculorum mole, quæ vitæ & vocationis nostræ cursum impediunt. Deinde quomodo studium inchoatæ obedientiæ placeat Deo, & quomodo inchoatæ virtutes fiant cultus Dei: Cum & in sanctis semper maneant reliquiæ peccati, & virtutes omnes in hac vita sint imperfectæ & languidæ, nec satisfaciant legi postulanti integram conformitatem cum Deo.

Quid differunt timor seruilis &
Filiælis?

Ti.

Quod incredulitas in Filium Mediatorem arguatur proprie ab Euangelio, arrolum à Ienensibus, extat in Enarratione Philippi in 16. cap. Iohannis, editione Argentoratensi, pag. 706. & 708.

TIMOR DEI SERVILIS est fuga, & fremitus aduersus Deum sine fide. Talis est contritio in Cain, Saul, Iuda.

TIMOR DEI FILIALIS est verus pavor & dolor animi consternati sensu iræ DEI & metu poenarum, ad quem accedit Fides, quæ inter pauores erigit & consolatur corda, & accedit ad Deum, petit et accipit remissionem. Talis est contritio Petri et omnium Sanctorum in tota vita, et hæc fit opus Deo placens & cultus Dei: iuxta dictum: Sacrificium est Deo Spiritus contritus.

Quid est cultus Dei?

CULTVS DEI est opus mandatum à Deo, factum in Fide, id est, vera agnitione & fiducia Mediatoris, quod refertur ad hunc finem, vt Deo tribuatur honos, id est, vt testemur hunc verè esse Deum, quem sic colimus, & eum sic velle coli.

Quid

Quid docent Papista de Pœnitentia?

Partes pœnitentiæ constituunt: Contritionem cordis, Confessionem oris, Satisfactionem operis, Omittunt igitur fidem, quæ est præcipua pars veræ pœnitentiæ, & illis ipsis partibus, quas recensent, addunt horribiles errores, ut explicatur alibi copiosius.

Recita breuiter præcipuos errores, quos habent Pontificij de pœnitentia: Cùm ij primam occasionem dederint emendationi doctrinæ Euangelij, quæ est facta per ministerium Reuerendi viri D. Lutheri.

De contritione daos grauissimos errores habuerunt, Oportere contritionem sufficientem esse, Et hanc mereri gratiam, seu remissionem peccatorum.

De Confessione docuerunt, enumerationem singulorum delictorum, ac præsertim arcanorum, faciendam esse administrantibus Sacramenta, & tria horribilia mendacia addiderunt. I. Quòd enumeratio mereatur Remissionem propter ruborem & verecundiam. II. Quòd recitatio sit necessaria, ut posset indici satisfactio. III. Quòd

I remissio

remissio pendeat ex conditione enumerationis, quam dixerunt diuinitus praeceptam esse.

De satisfactionibus horrendum chaos errorum fuit. Affirmarunt culpam remitti propter contritionem, & confessionem sufficientem, sed poenam aeternam mutari in poenas temporales, & harum partem remitti potestate clauium, partem redimendam esse satisfactionibus.

Quos gradus constituerunt satisfactionum?

Quinq; gradus. I. Erant opera indebita, seu non mandata lege Dei, ut peregrinationes, rosaria, ieiunia certorum dierum &c. II. Cooptatio in fraternitates, qua participes fiebant meritorum, quibus abundarent Monachi. Inde multi Imperatores in veste Franciscana sepeliri se voluerunt. III. Indulgentiae, quas distribuebat certo precio Pontifex Romanus, & eas affirmabat esse applicationes meritorum, quibus Sancti mortui prodesse alijs. IIII. Ignis purgatorius, quem tamen dicebant non esse aeternum. V. Vigiliae & Missae funebres, quibus animae redimerentur ex purgatorio.

Cur retinetur in nostris Ecclesijs ritus privatae Confessionis?

Non

Non volunt Ecclesiæ nostræ stabili-
re errores Papistarum de Confessione;
Sed retinent Confessionem, in qua fit
professio in genere, quòd agnoscamus
nos esse peccatores, propter petitionem
privatæ absolutionis, & vt in illo mutuo
colloquio rudiores erudiantur, & explo-
retur, an intelligant doctrinam Ecclesiæ
propriam.

Hæc arrosa
à lenentibus
diterre reci-
tantur in lo-
cis Theolog.
titulo de
Contels.
Corpore do-
ctrinæ 594.

Quid est Absolutio privata?



ABSOLVTIO PRIVATA
est annunciatio & applicatio Remissio-
nis

I 2

nis

nis peccatorum, quæ fit nomine & auctoritate Christi per vocem hominis in ministerio. Et hæc absolutio est testimonium, quòd vox Euangelij & multis & singulis, qui ad Deum conuertuntur, & consolationem petunt, annunciet remissionem peccatorum, iuxta dictum: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, Iohan. 20.

*Est ne enumeratio delictorum omnium
aut aliquorum apud ministros
Ecclesie necessaria?*

Nulla enumeratio delictorum necessaria est, Primum, quia nusquam extat præceptum diuinum de enumeratione singulorum. Deinde, quia enumeratio omnium est impossibilis, sicut scriptum est: Delicta quis intelligit? Fit autem absolutio priuata ratione ministerij, non ratione iurisdictionis. Ideo cognitio delictorum arcanorum non est necessaria ministro Euangelij. Sed alia est absolutio in criminibus, quæ distinguenda est à priuata absoluteione, ut alibi copiosius dicitur.

Est ne distincta remissio culpæ à remissione pænæ æternæ?

Non est distincta, sed remissio culpæ
prorsus

prorsus eadem est, quæ est remissio pœnæ æternæ, *Iuxta dictum Esa. 45. Ego quotidie deleo iniquitates tuas coram me, & peccatorum tuorum non recordabor amplius. Et Esa. 1. Si peccata vestra fuerint vt coccinum, & vt vermiculus &c.*

Est ne distincta remissio culpæ à remissione pœnæ temporalis in hac vita?

Est distincta. Vt Adam, David, accipiunt remissionem culpæ, & tamen simul subiiciuntur pœnis in hac vita: Sed hæ pœnæ nequaquam sunt compensationes aut merita pro pœna æterna, vt finxerunt Monachi, sed habent prorsus alias causas, quas omnes homines scire necesse est, propter doctrinam & consolationem.

Cur igitur Ecclesia, & hi etiam, qui sunt conuersi ad Deum, exercentur calamitatibus, seu quæ sunt cause calamitatum in Ecclesia?

Prima causa est peccatum hærens in natura, quod cum contemnat mundus, Deus

in Ecclesia vult conspici iram suam, ut agnoscamus peccata, & nos subiiciamus iudicio ipsius.

Secunda causa est **ODIUM DIABOLI**, Qui rabiosius scurit in Ecclesiam, quam in alios.

Tertia causa est, ut in **CRUCE EXERCENTVR** & crescant poenitentia, fides, inuocatio, & tota nouitas, iuxta dictum: *Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me.*

Quarta, quia plurima sunt in Ecclesia etiam **ACTUALIA DELICTA** atrociora, quae Deus punit propter suam iusticiam, & propter exemplum, & ut multos ad poenitentiam reuocet.

Quinta ut afflictiones sanctorum sint **TESTIMONIUM DE SECVTIVO IUDICIO.**

Sexta, ut afflictiones sint **TESTIMONIUM DE DOCTRINA**, quod pii verè sic sentiant, nec sui commodi causa circumferant fictam doctrinam.

Septima, ut fiamus **CONFORMES IMAGINIS CHRISTI.**

Octaua

Octava, ut liberationes in calamitatibus sint *TESTIMONIA DE PRÆSENTIA DEI* in Ecclesia.

Quomodo discernuntur gradus afflictionum in Ecclesia?

Genera sunt quatuor:

1. Ἰμωρία, ut exilium Davidis.
2. δοκιμασία, ut carcer Ioseph.
3. μαρτυρία, ut mors Baptista, Pauli &c.
4. ἁγία, solius Christi obedientia est.

Qui sunt fontes consolationum in cruce & calamitatibus?

Decem sunt loci.

- I. *NECESSITAS*, id est, Mandatum Dei, quod præcipit patientiam.
- II. *DIGNITAS VIRTUTIS*, id est, fidei & spei, quæ non est abijcienda propter arumnas.
- III. *BONA CONSCIENTIA*, cum non attraximus nobis nostra culpa calamitates.
- IIII. *REMISSIO TECTATORVM.*
- V. *Promissio PRÆSENTIÆ DEI* & auxiliij diuini in arumnis.
- VI. *SPE S VLTIMÆ LIBERATIONIS* & æternæ salutis.
- VII. *EXEMPLA Filij Dei*, & præcipuorum

Puorum luminum Ecclesie. VIII. CAUSÆ FINALES, quia affligimur, non vt pereamus, sed vt crescat in nobis lux & nouitas spiritualis. IX. COLLATIO EVENTVVM, cūm coram Deo agnoscimus nos iustè puniri, & meritos esse atrociores pœnas, & tamen mitigari pœnas propter Mediatorem, & ne tota Ecclesia funditus deleatur. X. DESIDERIVM CLARI CONSPECTVS DEI & liberationis à toto peccato.

An non mitigantur calamitates his, qui verè ad Deum conuertuntur?

Quòd conuersis ad Deum aut liberatio aut mitigatio pœnarum temporalium diuinitus contingat, ostendit exemplum Niniuitarum, & dictum Christi: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Mitigantur autem pœnæ temporales præcipuè propter Filium Dei, qui est vmbra culum Ecclesie. Postea verum est, & in conuersis studium benè operandi habere sua præmia, etiam in hac vita.

DE

DE SACRAMEN-
TIS QVAE EST
QVINTA ET POSTRE-
ma pars Catecheseos Chri-
stiana.

*Quid nominatur Sacramentum
in Ecclesia?*

SACRAMENTVM in nouo Te-
stamento, vt Ecclesia loquitur, est ritus
diuinitus institutus, additus promissio-
ni in Euangelio traditæ, vt sit testimoni-
um & pignus exhibitę & applicatę pro-
missionis gratiæ.

Definitio
Sacramenti,
& causæ fi-
nales oppu-
gnatæ a Bo-
etio & Lu-
neburgen-
bus, extrant
in Examine
Theologi-
co, Corpor-
re doctri-
næ, fol. 788.

Cur Sacramenta instituta sunt?

Duo sunt fines potiores, propter
quos ritus externi additi sunt promulga-
tionij promissionis. *PRIMVS* est, vt
sint signa voluntatis Dei erga nos, vides-
licet, quæ commonefaciant nos de pro-
missione, & applicent, id est, testificentur,
quod promissio ad nos pertineat.
Alter finis est, vt sint signa confessionis,

I 5 &

& distinguant Ecclesiam à cæteris Gen-
tibus. Ad hos fines accedunt postea alij fines sub-
ordinari, de quibus alibi prolixius dicitur.

*Quot sunt sacramenta noui Te-
stamenti?*

Augustinus duo tantùm recenset,
videlicet *BAPTISMVM ET COE-
NAM DOMINI*. Papistæ septem nume-
rarunt, sine euidenti ratione, & sine testimonio
scripturæ sacrae: Videlicet, Baptismum, Cœnam
Domini, Pœnitentiam, Confirmationem, Ordina-
tionem, Vnctionem, Matrimonium.

*Quid differunt Sacramentum &
Sacrificium?*

SACRAMENTA sunt ritus sacri,
per quos Deus nobis exhibet, & appli-
cat suas promissiones in Euangelio tra-
ditas. Sacrificia verò sunt opera, quæ
nos Deo reddimus, vt eum honore affi-
ciamus.

Quot sunt species Sacrificiorum?

Duæ sunt species: Propiciatorium
& Eucharisticum, *PROPICIATO-
RIVM*

RIVM *σεμιλασικόν*, est tota obedientia Christi, quæ sola meretur remissionem peccatorum hominibus.

Aliorum sanctorum bona opera omnia facta in fide, sunt *EUCHARISTICA*, & non merentur remissionem peccatorum. *Et huc pertinent etiam Typica, qualia erant in veteri Testamento. Quia facienti in fide erant exercitia confessionis & gratiarum actionis.*

DE BAPTISMO.

Quid est Baptismus?



BAPTIS-

Definitio
Baptismi,
oppugnata
à Boetio,
Vuestphalo
& Ienensibus,
extat in
Examine
Theologico,
Corpore
doctrinae,
fol. 789.

BAPTISMVS est instituta à Filio Dei mersio in aquam cum pronuntiatione verborum: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, testificans eum, qui cum hac pronuntiatione verborum mergitur, reconciliari cum Deo propter Christum, & sanctificari Spiritu sancto ad vitam æternam, & obligari ad agnitionem & celebrationem huius veri Dei.

Vbi extat mandatum de Baptismo?

Matthæi ultimo: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Vbi traditur promissio de Baptismo?

Marci ultimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui non crediderit, condemnabitur.

*Quis debet esse vsus Baptismi
in tota vita?*

PRINCIPALIS vsus huius mersionis est, In omni vera conuersione ad Deum
& in

Et in tota vita testificatio, qua confirmatur ille qui sic mersus est, se recipi in gratiam a vero Deo, qui est æternus Pater, Filius & Spiritus sanctus, & recipi se propter Filium, & sanctificari Spiritu sancto.

DEINDE accedunt & fines alij. Quod baptizatus recipitur ab Ecclesia, tanquam eius membrum. Testatur suam confessionem, discernit se ab omnibus alijs Sectis. Admonetur per omnem vitam hoc ritu, se ablutum sanguine Filij Dei, & Spiritu sancto obligatum esse ad vitæ novitatem, mergi in afflictiones, & certò se ex illis emerfurum esse.

Sunt ne infantes baptizandi?

Sunt baptizandi.

Quia omnes saluandos oportet inseri Ecclesiæ.

Ad infantes pertinet promissio gratiæ & salutis æternæ.

Sunt igitur infantes baptizandi & inserendi Ecclesiæ.

Minor manifesta est ex his dictis: Sinite paruulos ad me venire, nec prohibete illos, Talium enim (scilicet, qui ad me

me veniunt, seu, qui mihi offeruntur) est regnum cœlorum, Marc. 10. Item, Non est voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis istis, qui credunt in me, Matth. 18.

D E C O E N A D O M I N I

Quæ sunt præcipuæ appellationes publici ritus Cœnæ Domini?

Prima appellatio est **C O E N A D O M I N I**, 1. Corinth. 11.

Altera appellatio est **S Y N A X I S**, à conuentu seu congregatione publica. Tertia est **E V C H A R I S T I A**, à gratiarum actione. *Quia certissimum est in hoc ritu Deo & Domino nostro Iesu Christo gratias agendas esse.*

Quarta appellatio est **λετρηγία**, quæ significat simpliciter administrationem publici muneris.

Quinta à distributione Eleemosynarum Cœna Domini nominatur **ἀγάθη**. *Quia olim simul afferebantur ad Cœnam Domini panes & aliæ res distribuendæ pauperibus.*

Ponaa

Postremò, Romani vsi sunt nomine *MISSAE*, quod an ab Hebræis sumptum sit, an verò Latinam originem habeat, non certò scitur. *Vsitatum est autem hac appellatione complecti non solum Cœnam Domini, sed totum hoc, quod in publico congressu agitur, cantilenas, concionem, distributionem Cœnæ, inuocationem, & gratiarum actionem. Papi- stæ ad idolatricas oblationes & sacrificia pro viuis & mortuis detorquent vocabulum.*

Quid est Cœna Domini?



Est communicatio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sicut
in

Definitio
Cœnæ, re-
prehensa
à Boe-

à Boetio,
Chemnitio,
Ienensibus,
& Lunebur-
genſibus,
exiit in Ex-
amine The-
ologico,
Corpore
doctrinae,
fol. 80.

in verbis Euangelij instituta eſt, in qua
ſumptione Filius Dei verè & ſubſtantia-
liter adeſt, & teſtatur ſe applicare creden-
tibus ſua beneficia. Teſtatur etiam ſe ideo
aſſumpſiſſe humanam naturam, vt nos
ſibi fide inſertos membra ſua faciat. De-
niq; teſtatur ſe velle in credentibus eſſe,
& eos docere, viuificare ac regere.

Vbi extat inſtitutio Cœnæ Domini?

Historia inſtitutionis recitatur Mat-
thæi 16, Marc. 14, Lucae 22, & 1. Co-
rinth. 11.

RECITA VERBA SEU
hſtoriam inſtitutionis.

Dominus noſter Ieſus Chris-
tus in ea nocte qua traditus eſt,
accepit panem, & cum gratias
egiſſet, fregit, ac dedit diſcipulis
ſuis, dicens: Accipite & comedi-
te, hoc eſt corpus meum, quod
pro uobis traditur, Hoc facite ad
mei commemorationem.

Simiſ

Similiter & Calicem accepit, postquam coenauit, & cum gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunq; hiberitis, in mei commemorationem.

*Qui sunt fines ad quos referendus est
usus Cœnæ Domini?*

Primus & principalis finis est **C O N F I R M A T I O F I D E I**. Nam hæc sumptio est pignus, quo Filius Dei testatur, se nobis credentibus applicare beneficia, quæ morte sua meruit: ut hoc pignore confirmati, credamus verè nos esse & fieri membra Filij Dei, & ablutos esse sanguine Filij, & ipsum velle in nobis efficacem esse, & nostram miseram massam insertam sibi velle seruare & viuificare.

Ad hunc finem accedunt alij fines huius actionis: Est igitur secundus finis **G R A T I A R V M A C T I O**, Quia beneficij recordatio

K simul

simul accendere gratitudinem debet. Fiat igitur in usu Cœnæ gratiarum actio pro Filij missione, pro assumptione humanæ naturæ, pro ipsius passione, pro redemptione, pro donatione Euangelij, pro viuificatione, quæ fit per ipsum & Spiritum sanctum, pro restitutione vitæ æternæ, pro collectione Ecclesiæ, deniq; pro omnibus beneficijs.

Tertius finis est, vt sit **NERVVS PUBLICAE CONGREGATIONIS**, in qua vult Deus sonare & conseruari vocem ministerij Euangelici, Et ideo Paulus inquit: Quotiescunq; hoc feceritis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

Quartus finis est, vt in publico congressu sit **TESTIMONIUM CONFSSIONIS**, sicut Paulus inquit: Non potestis simul calicem Domini bibere, & calicem Damoniorum.

Quintus finis est, vt sit **SYMBOLVM MUTVAE DILECTIONIS**, iuxta dictum: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus.*

Qui vtuntur dignè Cœna Domini?

DIGNE accedunt, qui seiplos probant, hoc est, qui rectè instituti in doctrina cœnæ

na cœlesti, seriò agunt pœnitentiam, id est, dolent se peccasse, & verè expauescunt cogitatione iræ Dei aduersus peccata, & ideo accedunt, vt hoc pignore & testimonio admoniti fidè accendant & confirmant, vt credant se recipi, sibi ignosci et remitti peccatum propter Christum crucifixum & resuscitatum, & habent serium propositum obediendi Deo, & corrigendi vitam & mores.

Qui sumunt indignè, ac propterea iudicio diuino condemnantur?

INDIGNE sumunt, qui accedunt sine pœnitentia, id est, non afferunt timorem Dei, & fidem, & perseuerant in delictis contra conscientiam.

Quibus modis prophanata est Cœna sacra apud Pontificios?

Sex sunt præcipuæ & valdè horribiles prophanationes Cœnæ Domini apud Papistas. Prima est error de **TRANS SUBSTANTIATIONE**. Quia fingunt conuersionem substantiæ panis in corpus Christi, manentibus tantùm panis accidentibus.

Secunda est **CIRCUMGESTATIO** panis consecrati. Quia discedentes ab

usu diuinitus instituto, panem inclusum arculas circumferunt, non aliter quàm olim Persæ in publicis congressibus Orimasda seu sacrum ignem circumgestare solebant.

Tertia est *ADORATIO* panis. Tribuunt enim pani siue in sublime elato, siue incluso certis receptaculis inuocationem, quæ est cultus soli Deo debitus.

Quartò fingunt Missam esse *SACRIFICIUM*, non εὐχαριστικὸν tantùm, seu ἱλαστικὸν, in quo fiat noua oblatio Filij Dei, pro uiuis & mortuis, & totam Missam ad quæsitum transferunt.

Quinta corruptela est opinio prophana & impia de *OPERE OPERATO* sine fide, etiam sine bono motu uentis.

Sexta prophanatio est *SACRILEGIUM*, quòd Laicis alteram partem Cœnæ eripiunt.

Descriptio
Sacramen-
tariorum
oppugnata
à Bocuo,
Chemni-
cio, VVest-
phalo & le-
nensibus
lumptra est

PRAETER PONTIFICIOS
prophanant Sacramentum Cœnæ Do-
mini, etiam hi, qui non discernunt hanc
Cœnam à cibo prophano, & negant
sumptionem huius panis & vini esse
communicationem corporis & sanguinis
nis

nis Christi, ac ponunt nuda signa, seu Symbola vacua, & Sacramenta dicunt esse notas externæ professionis.

Harum prophanationum refutationes cum longiores sint, quàm ut breui oratione comprehendendi possint, & aliqua sit habenda ratio etiam ingeniorum puerilium, quæ propter ætatis & iudicij infirmitatem nimis longas disputationes assequi nondum possunt: Eas nunc consultò omittimus, & adultiores hortamur, ut & horum capitulum, quæ hætenus recitauimus, & aliorum, quæ in hac Catechesi puerili complecti non potuimus, uberiorem explicationem assumant ex libello Examinis Theologici, & cæteris libris Corporis Doctrinæ harum Ecclesiarum, quod sine omni dubitatione statuimus esse consensum piæ & Orthodoxæ Ecclesiæ, congruentem cum scriptis Prophetiis & Apostolicis, & cum Symbolis Catholicis.

ex descriptione Cœnæ Dominicæ tradita à Paulo, 1. Cor. 10. Et ex locis Theolog: titulo de sacramentis. Corpore Doct: totto §46. Denique è Icholio L. Lutheri addito in germana. Biblia, super dicti Pauli, Nota dijudicant corpus Domini, 1. Cor. 10.

QVAE EST CAUSA CERTITUDINIS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ?

Summa ac præcipua causa certitudinis est *PATEFACTIO* diuina, comprehensa in scriptis Prophetarum & Apostolorum.

K 3

Qui

Qui sunt gradus testimoniorum, quos recitavit vetustas, ad confirmandam certitudinem doctrinae Christianae contra Ethnicos?

Verustas bono consilio collegit septem gradus testimoniorum.

Primus gradus continet *MIRACULA & VATICINIA*. Quia sola Ecclesia habet facta inusitata extra naturae ordinem, quae nulla creatura imitari potest. Et habet praedictiones, non solum de Messia, sed etiam de vniuersalibus mutationibus generis humani, de serie Monarchiarum, quibus euentus certissime respondit.

Secundus gradus est *ANTIQUITAS DOCTRINAE*: Quia nec leges antiquiores, quam Mosaicae extant, nec historia vlla recitat initia mundi, & continuam seriem annorum, praeter narrationes Biblicas.

Tertius gradus est *COLLATIO DOCTRINARVM*. Ethnici, Mahometistae, Blasphemi Iudaei, & aliae Sectae, tantum retinent particulam Legis de quibusdam externis & ciuilibus officijs, & addunt cultus idolorum, aliae alios, Prorsus autem ignorant Filium Dei, & pro-

promissionem gratiæ traditam in Euan-
gelio. At sola Ecclesia retinet integram
& incorruptam doctrinam Legis & E-
uangeliij, & noticiam Filiij Dei, Domini
nostri Iesu Christi, crucifixi & resuscitati
pro nobis. Sola etiam doctrina Ecclesiæ
monstrat causas & remedia peccati &
mortis, et consolationes firmas tradit op-
ponendas omnibus calamitatibus.

Quartus gradus est *EXPERIEN-
TIA SPIRITUALIS*. Nam pij, qui re-
guntur verbo Dei, experiuntur consolationem
Spiritus sancti, agnoscunt suas preces exaudiri, &
confirmantur multis testimonijs præsentia Dei.
Hoc domesticum testimonium sumptum ab uni-
uscuiusq; pij experientia nequaquam leue ducen-
dum est.

Quintus gradus est *FORTITUDO
MARTYRVM* in supplicijs, Quia cum
fuerint homines sani, certè non propter fabulas
inanes subierunt acerbissimos cruciatus corporum.

Sextus gradus est ipsa *ECCLIE-
SIAE STABILITAS*, & perpetua
doctrinæ propagatio, & continua series
Doctorum, qui fuerunt testes & propa-
gatores huius doctrinæ,

Septi-


Septimus gradus complectitur
POENAS HOSTIVM Ecclesiae, id
 est, hæreticorum & Tyrannorum, qui
 omnibus ætatibus nouo exemplo iræ
 Dei horribiliter deleti sunt.

*Hos gradus testimoniorum vtile est omni-
 bus, etiam pueris, notos esse, vt certò singuli sta-
 tuamus, hanc solam esse veram de Deo doctri-
 nam, quæ est comprehensa monumentis Prophe-
 ticis & Apostolicis: quam vt conseruet inter nos
 Filius Dei, & corda nostra ad veram agnitionem
 & celebrationem sui ipsius exuscitet, toto pe-
 ctore & ardentibus votis ac gemi-
 tibus precamur.*

Μόνοῦ τοῦ Θεοῦ δόξα.

VVITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHAN-
nes Schwertel.


1571.




9
9 3453a

x220.64.15

M. G.





CATECHESIS CONTINENS EX- PLICATIONEM SIM-

PLICEM ET BREUEM,

DECALOGI:

SYMBOLI APOSTOLICI:

ORATIONIS DOMINICAE:

DOCTRINAE DE

POENITENTIA ET DE

SACRAMENTIS:

Contextam ex scriptis reuerendi viri D. PHILIPPI MELANTHONIS, &

CORPORE DO-

ctrinae Christianae,

quod amplectuntur ac
tuentur Ecclesiae regionum Saxoniarum & Mis-
nicarum, quae sunt subiectae ditioni Ducis
Electoris Saxoniae &c.

EDITA IN ACADEMIA VVIT-
tebergensi; & accommodata ad usum
Scholarum puerilium.

ET IAM DENO RECOGNITA

addita consignatione, in quibus partibus scriptorum
D. Philippi extent loca, haecenus ab aliqui-
bus impugnata in hac Catechesi.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

VVITTEBERGAE M, D, LXX II.

Johannes Neandery
Adm. N. Schis
Insider

plusquam
aut per se
nisi
superius
dispon
Volenti vno
annu or
ho gratia
Supra
to ibo 2
In sui me
morian libelle
hinc nescio
sey dicit
Suo intimo